UBALDI MIGNONII de Cler. Reg. Sch. Piarũ
Presbyteri

SEREN. AUGUSTI Tertii Poloniarum Regis

A Sacris Conſiliis

Et In Aula Romana Promouendorum ad Epiſcopatum
Examinatoris Theologi

NOCTES SARMATICAE.



Typis Brunsbergenſibus Soc. Jeſu & Varſavienſibus S. R. M. & Reipublicae
Scholarum Piarum Anno 1753. conceſsâ à Sup. Facultate.

FRANCISCO CÆSARI

Romanorum Jmperatori ſemper Auguſto

Pio Pacifico Triumphatori

UBALDUS MIGNONIUS De Cler. Regular: *Schol: Piar.*
VICTORIAS PRECATUR.

NON EST MIRANDUM HUMANARUM RERUM DOMINE FRANCISCE JMPERATOR, *cur Ego potiſſimum ex Polonia, cum ibidem agerem noſtrorumque Studiorum cauſam ſuſceperim, propterea multa quae ad ipſorum rationem pertinent elaborare debuerim, ea Tibi omnia, Tuique Nominis Felicitati inſcribenda eſſe putaverim. Res enim loquitur ipſa. Etruſca Gens*

cum

cum Tua sit, CÆSAR, *Tua etiam cuncta esse debent, quae ab illa proficiscuntur, praesertim quae in publicum exeunt, atque Animi meditantis foetus cogitationesque depromunt. Is Ego maximo Dei beneficio cum sim qui in omnium Europae Terrarum beatissima, quae Tibi obtigit, Etruria natus ibi etiam & studia perfecerim, & disciplinas docuerim annis pluribus non tam ex mei Ordinis more instituto que majorum, quàm publica auctoritate, ex Mediceorum Principum beneficentia, decretâ mihi Florentiae de divinitate & moribus explanatione, continuò coepi de Te cogitare, subiitque animum, me meaque omnia ad Te penitus pertinere. Quare patrocinium quaerendum mihi esse nullum nisi apud Caesarem. Reducem nunc ex tam longa peregrinatione Tuisque pedibus advolutum, opus meum per noctes sarmaticas distributum offerre me posse, instar triumphi mihi esse duco, maximèque plaudo Tuo Numini aliqua ratione Litare. Ità agere, qui maribus procellosis & Terrarum tractibus peragratis ad Larès patrios revertuntur, solent, ut Arae Sospi-*

tes

tes vota, veluti praeteritorum oblivia periculorum, è quibus Eos evadere Dei ope jam contigit, in gratiarum actionem appendant, quae sint posteris ad imitandum exempla, aut grati Animi pro beneficio, aut hominis auctorati pro obsequio debitáe servitutis.

Tibi ergo Caesar, tamquam praesenti Numini votivam mearum Noctium sarmaticarū oblationem jam tum primùm sistere cogitavi, cū scribere cogitassem, quò palam, perspectumque fieret Etruscam gentem magno Duci suo & Imperatori non tam parere quám plaudere.

Habuit olim Etruria Principes cives habet nunc moderatione modestia & religione praecipuum non Principem modò sed Patrem. Necdum satis aut oculis meis aut auribus credo. Viennae ad Tua genua pronum, & hinc abeuntem quanta me, Caesar, humanitate excepisti? Quàm multa de tam molesta peregrinatione locutus es? Haec dum memoro D. Neruae Trajani Praedecessoris Tui videor mihi quodammodo meminisse, tanta suavitas oris, tanta cum majestate coniuncta gratia sermonis, oculorum, & totius

corpo-

corporis dignitas tanta in gestibus eminebat; ut post Titi memoriam, quem delicias humani generis vocitabant, nullum Te aut fuisse jam aut futurum esse meliorem, magisque Terrarum Imperio dignum putem.

Quid ergo isti benignitati precer, op. Caesar nisi ut, annare, & perennare, utinam aeternùm vivere Dii Te sinant. Sinent autem in Augustae Tuae prolis perpetuitate gestis que immortalibus, quae sibi Europa jure quodam suo ab Austriae Principibus pollicetur.

Quot enim exempla ad imitandum proposita vel Lotharingi illi fuerint, vel Austriaci (Eadem enim generis ab Alsatiae Ducibus derivatio) majores Tui reliquerunt? Propagatum Imperium cum Religione, felicitas publica ubique Gentium Sanctissimis Legibus constituta, Asserta Jerosolimorum Libertas, novoque adepto Regno, crux ibi affixa ruderibus eliminatae superstitionis. Haec sunt, Caesar, quae Auctores olim sacri Nominis Tui praestiterunt. Haec sunt eadem quae Successoribus Tuis, Filiis scilicet & Nepotibus proponuntur. Interea dum ista speramus in

poste-

posterum, quid Ipse in praesens agas, quid gesseris & vident omnes & sciunt. Cuncta enimverò sapienter graviter & priscè. Vienna caput Imperii Danubio exundante meherclè perierat, ni Tu Civium incolumitati, convectis per alluvionis gurgites victualibus providus adfuisses. Quantum pro Te in hac misera tantae Urbis calamitate tum temporis metum trepidationemque suscepimus, dum Tuis potius, quam Tibi consulere, Tuorumque salutem tuo periculo redimere satagebas. Ibit in posteros Franciscum Caesarem ita Viennensibus advigilasse, ut nihil sibi metuerit quò populis praecaveret. Quodque olim historia velut insigne futuris seculis factum laudatissimum praedicavit, Imperatorem fuisse jam adeo bonum diisque quàm similem qui ad obliganda vulnera in acie militum expirantium discissam ab humeris purpuram sibi vestemque detraxit, hoc Tuae Pietati collatum facinus vix patebit, tanta est virtutis disparitas Imperatori, prodesse aliis capite periclitando, aliis verò sine vitae periculo subvenire. Quare, optime Caesar, fruere tam excellenti

bono

bono, quod Tibi divinitus datum supra mortalium Genus universum naturam Tibi etiam indidit praestantiorem, ut scilicet omnibus & quacumque ratione & tempore benefaceres. Et si inermis posthac remotâ custodia atque incomitatus incedas sine militum armôrumque apparatu, amoris excubiae, mihi crede, & Patriae charitas satis erunt, ut Te ab hostibus tueantur.

Exarsit interea, quo fortè numquam saevissimo Europa bello. Concursus armorum factus ad fasces Rom: Imperii adspirantibus Principibus magnis, divisisque copiis inter custodiam pacis & belli Germania tota atque Italia, quae prima omnium semper infelix irruptionibus patet, incendio flagrabant misero funestoque tam rapidè, ut scires ad ultimum exterminium urbes Provincias omniumque Gentium, & populorum fortunas vocari.

Jn tam diversa causarum concertatione, divino consilio, Imperator, idest Tuo, sua enim cuiquè prudentia Deus est, Lentiam in primis in Tuam redigis potestatem, & licèt innumeras Arx illa copias objiceret, pro Te tamen

men

men Justitia pugnavit. Nec nivibus obstructa itinera & confragosa adeuntem, nec obsidentem propugnacula & munitiones retardare potuerunt. Satis fuit superque Te ostendere ut vinceres. Haec qui cogitat, certè mirari desinet Tuae virtuti debitum Terrarum arbitrium tam unanimiter à septemviris delatum esse, siquidem & Austriacus, & omnium sermonibus Pius fortis gloriaque maximus ferebare. Quod verò numquam Posteritas conticescet illud est aere dignum, ne qua oblivio intercipiat, quod haec omnia sunt gesta inspectantibus & invitis hostibus Tuis. Quantus Tibi plausus est factus, quanta exultatio, ubi aera tonantia, & circumfusi clamores populi Te Caesarem consalutarunt! ubi Ungarorum & Bohemorum Regina Coniunx illa Tua gloriosissima, cui parem neminem feminarum memoria temporum recordatur, collatam Tibi Rom: Imperii, amplissimam dignitatem gratulata est! Sine me hic, Caesar, paullisper divertere & Augustae Laudibus immorari. Erat oppidò, non inficior, erat Tibi tantum ex omni virtutum genere

Lau-

Laudis & meritorum, praestantia corporis, robur Animi, agendorum consilium, mentis alacritas, fama pietatis & religionis, ut alienis virtutibus non indigeres. Attamen Tute Ipse, Caesar, libenter fatebere magnam Tuae gloriae accessionem inde maxime profluxisse, quòd hoc augusto connubio, regnorum jura, & ditionis prope interminae potestatem in posteros propagaveris. Quòd Austriacae domûs tantorum Regum & Imperatorum Sanguine toto Orbe conspicuae ex pervetusta origine derivationem iterum perpetuo nexu coniunxeris. Quod Regia Coniunx talis famae talisque formae & pietatis & fortitudinis nescio quid magni ex ore ipso inspirantis, sua Tecum merita apparatumque virtutum communicaverit. Haec ab Augusta Tua, Caesar, cuncta profecta sunt. Hoc Sacro foedere cùm Tua, tum illius animi ornamenta conjuncta in quantum herclè miraculum evaserunt! Quàm omnium retroactis seculis Principum praeclarorum virtutem Laudemque praecellunt? Quo fit, ut cum Tuam, Caesar, extollere, vel religionem, vel fortitudinem vel

sapi-

ſapientiam volumus, Illius quoque & religionem, & fortitudinem & ſapientiam efferre oporteat, cum verò Ejus decora praedicanda ſunt, Tua etiam decora praedicare ſummis Laudibus debeamus.

Ad Te nunc redeo, Imperator fortiſſime. Inito Imperio, quid primùm animum ſubiit in tanta Rerum omnium perturbatione, quantam tum temporis patiebamur? ſcilicet ut rem Germániae publicam ordinares, ut pacē tranquillitatemque reduceres, ut neutris partibus adhaerentibus Imperii Proceribus amicitiam cum omnibus confoveres, ne in immenſum bellorum incendia clades populorum Provinciarumque vaſtitas augeretur. Haec fuit, Caeſar, divini conſilii Tui ratio, quâ initia Imperii feliciter auſpicata in magnam ſpem aeternae potiundae pacis omnium animos erexerunt. Et ne cui ſuſpicio fortaſſe incidat, Tibique audeat inſimulare, quod in tanta mole belli Conjugem amántiſſimam hoſtium irae permiſeris, ſciat ſibi Illam fuiſſe ſatis ut triumpharet.

Interea ſupplices ad Te manus Etru-

ria Tua porrigebat. Moerens Illa, & squallore obsita jacturâ Principum in sinu suo prognatorum in Te oculos intendebat. Italia omnium Orbis Terrarū pulcherrima regionem habet nullam Etruria beatiorem, vel Coeli benignitas vel agrorum cultura, vel urbium nobilitas & elegantia vel rerum optio, vel incolarum ingenium indoles industria & sagacitas perpendatur. Timuit sibi plus aequo solicita (timori parcas Caesar invicte) timuit sibi ne haec singula temporum vicibus interirent. Exempla sunt regnorum crebra, quorum translatio faciem rerum fortunamque mutavit. Verum tamen modò ô quám Ipsam perpudet trepidationis suae. Cuncta ibi feliciter aut firma sunt aut meliora. Propagato commercio novisque inductis opificiorum magisteriis, amplificato Liburni, magna suburbiorum accessione, pomaerio, cum se ipsam ex accolarum frequentia Civitas munitissima minimè caperet, Derivatis aquis saluberrimis atque in balnea coactis extructisque aegrotantium commodo amplissimis diversoriis,

via-

viarum itineribus pro mercibus convehendis elegantissimè complanatis stratisque, Terra marique pace composita, ut nullus hostis pirata nullus, etsi effusa barbaries omnia maria excursionibus magnis obsideat, Tuorum populorum tranquillitati insidiari audeat; Magistratibus tandem, ut jus unicuique suum aequabiliter tribuatur, aut decretis iterum aut emendatis, res Etrusca non stat modò sed floret vigetque ad aeternitatem.

Quid autem de Litterarum & Litteratorum patrocinio Loquar? Fuit olim Mediceorum haec Laus una Principum, qui exules disciplinas bonasque artes universas veluti postliminio revocarunt. Fuit, eritque Tua semper virtus praecipua, sapientiae & sapientûm partes suscipere, eruditiores amplecti, favere de Litteraria repub: benemerentibus, in quorum manibus fama rectefactorum quae ad posteros transmittatur, velut depositum aliquod pretiosissimum adservatur. Quanto enim studio satagas ut Pisana Academia omnium Italicarum celebratissima excellat, vident omnes & gestiunt. Non

enim

enim gratia, ſed meritum praevalet ubi ad artium magiſteria ſtudiorum duces promoventur. Optimus quisque eſt qui praecurrit, quare nec Athenarum nec Romae Gymnaſiis ſapientes invidemus ſuos. Id eſt, Caeſar, admittere in animum Etruriae curam, & cum totius Orbis fata ſuſtineas, oblivíſci quodammodo in tam arduo humanarum rerum faſtigio Tui, ut Tuis populis vivas.

Itaque Etruria, Auguſtiſſime Caeſar, hoc a diis immortalibus omni votorum nuncupatione depoſcit, ut nati natorum nepotesque Noſtri, & ſiqua omnibus ſeculis erit progenies duratura, tū Tibi, tum ijs, qui ex Tuo generoſo & pervetuſto ſanguine procreantur, obſequia praeſtent, fidem exhibeant, amorem perenni pietate devoveant. Ego verò cum ſacro Numini Tuo noctium ſarmaticarum vigilias in genua procumbens offero dedicoque, illud precor, ut admirandae Tuae maieſtatis ſplendorem ad ima etiam atque humilia deflectas, cum ea ſit Divorum bonitas, ut animum offerentis, non pretia oblationum & magnitudinem aeſtimare metirique ſoleant. Vale glorioſiſſime Caeſar & vive publicae felicitati.

ELENCHUS DISSERTATIONUM

1ma. *De Arte Critica, in qua de ejus necessitate atque usu. De Grammatica. De Humanioribus Literis. De Ordine in legendis Auctoribus. De Stylo. De Philosophico & Theologico Studio. De Dogmate. De Exteris Peregrinationibus studiorum Causa susceptis.*

2da. *De Vitali principio quod est in Brutis Epistola Philosophica.*

3tia. *Epistolae Philosophicae Vindiciae contra Censorem Regiomontanum Latinè & Gallicè.*

4ta. *Et Varia Carminum specimina.*

5ta. *De Pòëseos & Pòëtarum studio ad Latinitatem comparandam Necessario.*

6ta. *De Jure Ecclesiae Publico.*

7ma. *De Moralibus Disciplinis.*

8va. *De Verbo Dei pro Concione dicendo.* Prima. *Pars didascalica, in qua de Proaemio, de Partitione, de Probationibus, de Affectibus, de Conclusione ceterisque ad Sacram eloquentiam ritè & ordine pertractandam pertinentibus.*

Secunda *Pars Polemica, in qua Sacrarum Imaginum disciplina, &* BENEDICTI XIV. *Pontificis contra Rectorem Regiomontanum decretoria ad Episcopum Augustanum Epistola Vindicatur.*

Celſiſſimo & Reverendiſſimo S. R. I. Principi
ADAMO STANISLAO à Grabowo
Varmienſium Epiſcopo
Et Pruſſiae Terrarum Praeſidi
Mecaenati Optimo & Beneficentiſſimo
UBALDUS MIGNONIUS
Felicitatem

ETſi viris magnis, & in ampliſſima honoris luce verſantibus decorum eſt, Celſiſſime Princeps, ſuperare operibus ſuis hominum praedicationem, nobis verò infimis & gregariis in literaria Rep. valde gloriandum, atque praeclarum, illorum dignitati, majeſtatique concedere, ut nulla alia ſit ratio major, quàm ipſa dignitas, & majeſtas, quâ ceteros antecellunt, quamobrem Eorum nomini, ingenii foetus inſcribere debeamus; tamen homini peregrino, & alieno Coelo, aliiſque moribus inſtituto, maximè convenit, qua de cauſſa potiſſimùm, Mecaenates ſtudiorum ſuorum vigiliis quaerat, liberè profiteri. Ea eſt igitur cauſſa patrocinii Tui comparandi. Ubi primùm Varſaviae, in Urbe publicis totius Regni Comitiis, tum temporis, frequentiſſimâ, Tua mihi dignitas ſeſe obtulit contemplandam, equidem fateor, tantum erga Te venerationis, & obſervantiae me protinus ſuſcepiſſe, nihil ut vehementiùs ſtatim percuperem, quàm ut aliquam erga Tuam amplitudinem, & ſapientiam, mei ſtudii, cultûſque

ſignificationem, omnibus patefacerem. Haec animo cogitanti, neſcio, quis bonus Genius fauſtè, ac feliciter aſpiravit; factumque eſt, ut inde, prolixae erga me voluntatis Tuae liberalitas avocaverit, atque huc in Varmiam, quam jure humano, & divino, tam graviter moderaris, ac temperas, invitatus accederem. Ociari apud Te, feriarique, Princeps ampliſſime, penitus inhoneſtum. Quippe qui totus in Tui Gregis inſtitutione, ſic rerum Eccleſiae ſatagis, ut novis ſubinde, perpetuiſque laboribus, & curis refici quodammodo videare. Itaque cum demandata jam mihi foret provincia, mei Ordinis ſtudia, rationemque tradendarum diſciplinarum, ſiquidem opus eſſet, ad trutinam revocandi, & Tu animos adjeciſti, & tranquilliſſimum ocium, huic toti negocio, ſedulam navandi operam humaniſſimè praebuiſti; ut planè intellexerim, oblatam mihi eſſe divinitus opportunitatem, quâ & Collegis meis optimis & amantiſſimis prodeſſe poſſem, Tibique tandem, quid ego de Tua virtute, ſummiſque laudibus, praeconcepta opinione ſentirem, apertè dicerem, & futurorum memoriae temporum commendarem. Noctium propterea Sarmaticarum Vigilias, ad Auli Gellii Viri doctiſſimi imitationem elucubrandas, apparandaſque ſuſcepi. Hinc quippe mihi, facile videbatur, in varias bonarum artium regiones, excurrere, deque his omnibus, ad ſcholarum noſtrarum eruditionem, judicium ferre. Non quòd ego oraculi loco, quae ſcriberem ha-

beri

beri vellem, id enim foret hominis impudentissimi, sed, ut quae longa, & diuturna exercitatione, curâque in haec eadem studia jam pridem impensâ digesseram, amicè, & liberè, cum mei Ordinis sapientioribus communicarem. En Tibi, Princeps amplissime, scribendi causam. Cur autem Tibi potius, quàm multis, & summis, & gravibus Regni Proceribus, labores meos, qualesquales ii demum sint, nuncupaverim, palam est, omniumque oculis obversatur. Tu siquidem me in tutelam Tuam perhumaniter recepisti, quod honesti Viri animum, mirum est quàm devinciat. Deinde in Tuo nati, de Tuo creverunt, & lucem modò hominum adspiciunt, & literis propagantur.

Sed haec fortasse cum multis communia esse poterant; plerisque enim omnibus, haec animi magnitudo, & nobilitas, quae Polonorum est virtus, naturâ innascitur. Illud verò totum, atque integrum tuum est; quòd Literarum patrocinium ad Te, omnium, jure pertineat, quem Literae omnes, bonaeque artes, mirabiliter honestarunt. Atque hìc patere, Princeps amplissime, licèt modum orationi meae Tua modestia imposuerit, ut minimum delibare de Tuis laudibus possim, quò omnes intelligant, honores à me, qui per haec praeconia exhibentur, non temerè, aut ingeniosè, sed meritò offerri, ne cui suspicio Exterorum, qui Te ignorant, fortasse incidat, me, ut assolet, in hoc genere laudationis, gratiae potius referendae, &

memori beneficiorum recordationi litare, quàm veritati, maluisse.

Itaque, cum Tibi Natura excellens ingenium, majorum Virtus, insignem Generis nobilitatem, domestica institutio morem, & consuetudinem splendidam tribuerit, Tua Tibi illico potuit indoles, & praestantia, suggerere, quid Tu reddere majoribus Tuis, quid omnium spebus de Te exhibere, in tanta animi Tui expectatione, deberes. His actus ad gloriam stimulis, theatrum ingressus Laudis, rerumque publicarum, mirum est, quàm repente ad amplissimos honoris gradus adscenderis; permirum quàm semper, & summè in his omnibus excellueris, ut delata Tuis meritis Sacerdotia, meritis inde majoribus cumulatum, ad majora proveherent. Non enim Tibi, à tantis initiis, talibusque profectò, exiguum quidpiam erat, aut mediocre cogitandum. Inter haec Culmae Episcopus renunciaris. Statim pietas, beneficentia, constantia, aequitas, magnanimitas extitit; atque ita famâ rectè factorum, & nominis inclaruisti, ut, cùm ejusmodi quaereretur Vir, magnus scilicet, & praestantissimus, qui in illo Regni dissidio miserando potius, quàm memorando, ad Pontificem Max. delegaretur, unus inventus fueris, qui Augusti Regis partes, egregiè pro tanto munere sustineres. Romae verò quàm omnium Ordinum sapientissimis carus! Quàm totus in pietatis officiis! Quàm irrequieta cursitatione, ubique sacris agendis, ubique mysteriis, & sanctitatibus aderas, nequid esset re-

set re-

ſet reliquum, quod rerum ſingularum ſcientiam Tuam, aut religionem lateret.

Hinc ſanè illa Tua ſingularis de toto genere myſteriorum, Legumque Eccleſiaſticarum cognitio, quâ uſque eò mirabiliter emines, ut mihi Romae vitam agenti, in Arce ſcilicet Sacerdotii, ubi omnia, quae DEI cultum Chriſtiano more adhibendum attinent, ad perpendiculum exiguntur, migraſſe quidem aliò, ſed aras, & miniſteria mutaſſe, nec minimùm videatur. Qui tuus inde reditus, re benè geſta, & praeclarè? Triumpho ſimilem dicunt, qui eum meminerunt. Nam ea quemadmodum Victorum pompa ad Capitolium, honoris nempe faſtigium, Populo circumplaudente dirigebatur, ſic Tuis meritis, & laudibus plauſum eſt; quibus aditus factus ad Vladislavienſem, & Varmienſem exinde Eccleſiam, & Principatum de Rege, deque Rep. benemerentiſſimo, tam celeriter patuit, ut facilè divinando quis poſſit, ex hiſce curſibus ad dignitates, conjicere, neque etiamnunc felicitatem Tuam, cum virtute conjunctam, poſſe conſiſtere. Haec autem vera, & ſumma felicitas, uberiori ſemper felicitate dignum videri.

Hic verò loci numeroſa Tuorum geſtorum gloria, ſeſe mihi objicit univerſa. Paſtor tribus Gregibus datus, dubium eſt, utri magis profueris, cùm ſingulis, pro Tuo more, conſilio, operâ, monitionibus, diligentiſſimè advigilaveris. Ubique veſtigia extant munificentiae, pietatis, liberalitatis

Tuae

Tuae. Quod eſt in cauſſa, quare, cum nulla ſit opportunitas benefaciendi, quae à Tuis oculis dilabetur, ſpem adhuc, primitiae ſacrorum Tuae, non abjiciant. Ubique fructus exuberant, reſtitutae in priſtinum diſciplinae. Neque id mirandum, cùm ſua, quemque in alio, natura delectet. Hinc optimos ſemper eligere, ut facis, ad minora quaelibet ſacerdotia, Te eſſe optimum, & ſapientiſſimum probat, cujus ſpecimen, atque exemplar, quae Tibi ratio vitae, quod hominum genus perplaceat, luculenter oſtendit. Vita autem Praeſulis cenſura eſt ceterorum. Ad hanc convertimur, in hanc intuemur, nec tam imperio, populis opus eſt, quàm exemplo. Æquum nimirum eſt, Eum debere aliis ſacrorum Procuratoribus antecellere, qui hujuſmodi Procuratores facit.

Quàm verò longiſſimis intervallis ſollertiores etiam praecurras, equidem non audeo dicere, quippe qui oneroſum id eſſe, Tuae verecundiae, jam ſentiam. At me tacente, magna Tui nominis praedicatio, quae certè non ſtatuis, aut imaginibus, ſed virtute, & meritis propagatur, loquetur ipſa. Loquetur animi Tui, pro Eccleſiae jure ſarto tecto ſervando, robur invictum, & inviolabilem firmitatem. Loquetur auguſtioribus aris, jam Coelites invocari, Numenque ſummum laxioribus Templorum ſpatiis, recipi pro dignitate, & ſupplicum confluentium frequentiâ. Loquetur Dei ſanctuaria aucta muneribus initiatis, & pretioſiſſima ſupellectile amplificata. Loquetur à

tur à fundamentis elatas Ædes, marmoribus, trapezophoris, tabulis, candelabris, omnique genere ornamentorum locupletatas. Quae, etsi muta sunt, animâque carentia, sibi tamen plaudere, & gratulari videntur, quòd ita nitcant, quòd frequententur, quòd aliquando coeperint, mysteriorum sanctitatibus convenire.

Haec, & alia plura loquetur Tuorum fama gestorum, quae, etsi magna, & decora, & sacerdotalis gloriae plenissima, non ea tamen sunt, quæ hìc in Varmiae Tuae dominatu, quotidie cernimus. Audivimus quidem illa, quae diximus, sed audivimus. Æquum est igitur, nos nostris oculis, non semper famae, & rumoribus credere. Duo sunt hìc maximè dissimilia, Sacerdotium & Principatus, quae in Te uno conspirant. Arduum est, quis ignorat? duo summa, eaque simul capere Imperia, praecipuè verò, cum utrique inest diversitas potestatis. Majestas Principem, & severitas. Moderatio, & lenitas Episcopum decet. Itaque Summi Viri est, & prope divini, majestatem, cum lenitate, & moderatione conjungere, ut gladium ad terrorem praevaricationum, Crucis symbolum, ad misericordiam praevaricantium praeseferat. Haec Tua laus est Opt. Princeps, haec praedicatio nunquam interitura; Sic Principem agere, & Senatorem, ut Episcopus videaris, non tantùm moribus, sed modestiâ; sic verò Episcopum, ut splendidè, & decorè cùm vivas, Senatorem, & Principem repraesentes. Videmus nunc,

atque experimur, quòd una, eademque res eſt bonus Epiſcopus, & bonus Princeps. Animadvertitur in ſcelera, jus ſuum unicuique tribuitur, componuntur familiarum provocationes, magiſtratus ex optimis deſignantur, aditus ad Te, lacrymis ſupplicantium, facilis patet. Haec enim vera dignitas, veraque Principis amplitudo, ſic ſe exhibere ceteris, & auctoritatis opes ita expoſitas omnium temporibus habere, ut ad alios laborum fructus, ad ipſum laetitia animi, voluptaſque perveniat. Nam, ſi res, veritaſque ſpectetur, Sapientis Viri Imperium, procuratio eſt aliorum ſalutis. Ita fit, ut, quemadmodum crimina coercentur poenis, haud ſecus bene merentibus praemia ſingulis decernantur; quae ſanè gratiora ſunt accipientibus, qui ſciant, dari ſibi, quae nemini ſunt erepta. Unuſquiſque ſcilicet, & liberè ſine metu, & tranquillè ſine periculo, bonis ſuis, atque opibus gaudet, quin portoriis inſolitis, aut congiariis coactè oblatis, ſibi rem ſuam expilari, miſerè conqueratur, unde evenit, ut undique convolantibus ad ſecuritatem, tam capitis, quàm fortunarum, Tua haec Provincia ſacerdotalis in dies augeatur, & floreat. Quid, quòd Tua bonitas, uſque eò redundat, ut calamitoſis ad opem, ſalutemque ſufficiat, Te ſcire calamitates ſuas; tam properè ad omnia pariter, & ad omnes intenta, Tuae cura benignitatis, accurrit. Haec ſunt Principis. Utinam omnium Principum praeconia forent! Vide nunc paucis, quae ſunt Epiſcopi.

Nullum

Nullum eſt magno Epiſcopo, & immortalitatem nominis merituro, dignum magis impendii genus, quàm quod erogatur in Religionem. At enim non vis interea laudari? Mehercule ecquis laudibus temperet, in tam uberi laudum ſegete, quae inde omnes egerminant, unde Religio floret? Mos ille Tuus inveteratus, Templorum decus, & elegantiam amplificandi, ſi alibi ſumptuoſus, hìc certè immodicus, & naturae ipſius habitu ad liberalitatem prope inexplebilem factae, profuſus. Id Tuae in primis Cathedrae Metropoleos, auguſta ſedes experta eſt. Haec aras ſuas tabulis eleganter depictis, & concinnatis inſignes, gloriatione quadam nobilitatis oſtentat. Oſtentat auro, argentoque textili ſtragula coruſcantia, atque ornamenta ſacrorum. Oſtentat vaſa cælaturis, & ſignis gravia, thecamque illam radiatam, divini corporis adorandi publico miniſterio, non tam pretioſè, quàm affabrè elaboratam, ne quid ſplendoris, & decoris ſacris ritibus deſit. Hinc in omnes diffuſa minores Curias, immenſitas largitionum; Et quod titulis omnibus ſpecioſum magis, & praedicandum; non trabibus, aut ſaxis prolixa Tui nominis commendatio, ſed monumentis aeternae laudis inciditur. Illud quoque, adhuc Tuae gloriae præſtantius; ne rogari quidem ſuſtines, tam velox beneficentia Tua eſt, atque ſolicita. Quare non jam Templa nutantia, non aſſeribus ſectis miſera, & indecora. Ruinas ſiſtere, ſolitudinem pellere, inopiae proſpicere Sanctuarii, Tua eſt cura praecipuas

pua; quò fit, ut Varmiae limites ſcias, ubi incipiunt ſacra nitere. Quod autem in ſummis Tuis laudibus pono, illud eſt ſapientiâ Tuâ maximè dignum, quòd comica anicularum viſa dediſcere Religionem cogis, & circulatorum commenta inhibes, & ſuperſtitione eximis veritatem; nec imaginum cultus, inſtructis ad riſum ſpectaculis, exerceatur; nec Gregibus exhibentur, niſi pabula ſelectiora ſine aliqua miſtione malorum graminum luxuriantium. Huc pertinet domeſtica illa Academia divini verbi præconibus patens, quos Tute Ipſe doces, Tute Ipſe imbuis, qua ratione, quibusque fontibus argumenta eliciantur, qua lege mores, & dogmata, non humanae ſapientiae verbis debeant, ſed ſolidiſſimis Scripturarum oraculis conſentire. Huc bibliotheca illa omnium literis Patrum, omnium veterum ſtudiis, Eorum etiam, qui à nobis temere deſciverunt, locupletiſſima, unde arma ſumere, & pertinacibus ſectis, queant, ad verae Eccleſiae nomen, & priſtinam dignitatem firmiſſimè vindicandam, inſurgere. In quo, abſit invidia verbo, ſic Tu omnibus praevales, ut diſſentientes à nobis perſuaſione doctrinae, vel ſcribas, quod facis ſemper, vel familiariter colloquaris, quod accidit frequentiſſimè, demiſſo vultu, elingves, & ſtupidi, lapideſcere videantur. Hinc plurimorum ad ſanitatem, quotannis reditus. Si verò ex Arce Chriſtiani nominis ſcita adferuntur, non tacitae animi Tui venerationi, quae ſumma eſt, acquieſcis, non ea cultu proſequi, & obſervantia conten-

tus es

tus es; sed tubâ canis in Sion, Romanaeque Sedis oracula doctissimis, & sollertissimis admonitionibus explicas, atque illustras. Quare nullum momentum temporis, aut sterile beneficio, aut vacuum laude, Te praeterit.

Ad haec. Magna virtus, eademque domina rerum fortuna, cùm nihil tectum, Princeps amplissime, nihil occultum habeat, praesertim, si in mortalium nobilissimis reperiatur, solet ipsa cubicula, intimosque recessus recludere, aut reprehensionibus, aut praeconiis. Recludat tamen. Si quidem hoc etiam nomine, Tibi maximè gratulamur, cùm nihil ad gloriam Tuam, magis accomodatum, atque opportunum esse unquam possit, quàm penitus inspici. Quid enim aliud remotis arbitris agitas? Quid integris pene diebus solitudo illa Tua meditatur? In lectione, in literis, in Tui gregis commodis totus, rebusque aliorum utilitatibus profuturis, immoreris, Episcopus, Princeps, monitor, & laborum comes. O rem memoriae, posterisque mandandam!

Ibit in Varmiae fastos, fuisse Principem, qui bonas artes singulas in complexu, in oculis, in auribus habuit, quique ad animum reficiendum, labores laboribus commutaret. Praesensit, credo, virtutes Tuas, haec felix Provincia, quam, cùm primùm ingredereris, tota commota est, atque excita sedibus suis. Oppletas undique vias, angustumque tramitem vidimus relictum Tibi. Alacrem hinc, atque inde, omnium ordinum mul-

titudinem vidimus. Ubique par gaudium, atque una vox erat populi, Patrem pauperum, Pastorem, & Principem consalutantis. Circumfusus Cleri Proceribus, longâque ad metropolim supplicatione transvectus, dic, rogo, quid tum tacitus cogitabas? Quid aliud sanè tuis auribus adstrepebat? nisi in Te uno contineri salutem omnium; cùm omnes scirent, sibi se, ac liberis suis precari, quae pro Te precarentur.

Praesensit ergo jam inde, quod injuriam nemini inferre, omnibus benefacere, quòd oves Tuas, & Pastores nominatim vocare, quòd Sponsam hanc ornatissimam, & illibatam Ecclesiam Tuam, ab apris circumrudentibus custodire, quòd errores arguere, sed famae parcere, quòd consultus veluti oraculum undequaque, responsa omnibus dare sapientiâ, & dignitate plenissima; quòd gregi Tuo, Cleroque acceptissimus, non Principem supra leges, sed supra Principem leges esse sapienter intelligens, tranquillè omnia, & sedatè componere, studuisses. Praesensit reparandas Arces Principibus destinatas, miserorum inopiam magnis sumptibus sublevandam, Religiosis Ordinibus laudem, honoremque studiis cultiorem, missis ad Emporia disciplinarum, qui sui spem facerent, restituendum. Haec divinans Tua Varmia praesensit, cùm tota in occursum, alacris effusa est. Quid propterea mirandum, si qui sunt in limitibus, Principes potentissimi, tam excellentem animum, virtutemque, benevolentiâ suá prosequantur? Si

Te

Te omnes celebrant, & frequentant? Si Tuis assident mensis, ad quas non impudens petulantia, non intemperans risus, sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorum honor alliciunt. Quàm pulchrum est audire, Te patriâ omnium lingvâ, non solùm loqui, sed eloqui & graviter, & ornatè? Ut Ennius ille, qui tantopere gloriabatur, quòd Oscè, Graecè, & Latinè sciret, tria corda se gerere, longissimis spatiis, Tibi cordatissimo posthabeatur. Quàm decorum, & laudabile, ad aures Tuas, cùm ceteris pestibus, tum maximè adulatoribus, esse aditum interclusum, &, cùm saepe ad optimam fortunam, pessimus quisque avidissimè convolet, ad Te, non nisi literarum, & sapientiae, & veritatis amatores accedere? Patet enim his omnibus honoris, & gloriae campus. Quare faciliùs erit, ut esse aliquis successor Tuus possit, quàm velit; cùm bono Principi succedere, sit onerosum, & magnopere metuendum. Siquidem sic inbuti Varmienses, longoque usu, Tuis virtutibus assueti, non nisi Episcopum poterunt Tui similem, id est optimum, & praestantissimum ferre.

Deus Tibi, Princeps amplissime, aetatem tribuat, quam mereris, serventque hunc animum Superi, quem dederunt. Nam cetera, quae sunt fortunae, torques Ordinum praeclarorum, Hierosolimitani scilicet, & Regiæ Aquilæ Albæ decora insignia, amplitudinem Ea quidem, & gloriam Tuae gentis ostentant; non autem Te, qualis, quantusque

sis

ſis, patefaciunt. Facias iſta ſemper, & fruere tam excellenti bono, neque unquam in hoc curriculo, inſtitutoque virtutis, aut animus Tuus, aut fortuna laſſetur. Ego verò, cùm meos eloquendi, exprimendique conatus, Tuorum ornamentorum copia jam obruat, illud certè faciam, ut nunquam poſtea, mihi Tuae maximae humanitatis, Tuorumque in me collatorum beneficiorum, recordatio excidat, ſed eat in poſterorum memoriam, & temporum, ſempiterna.

NOCTIUM SARMATICARUM VIGILIAE.

Scribendi ratio conjuncta cum loquendo est, & enarrationem praecedit emendata lectio, & mistum his omnibus, judicium.

Quint. Inst. lib. I. c. 4.

ADAMO. PRINCIPI. CZARTORISKIO
GENERALIS. RUSSIAE. TERRARUM. PALATINI
EXIMIAE. SPEI. ET. EGREGIAE. INDOLIS. FILIO
ADOLESCENTI. OPTIMO
ET. DERIVATO. A. MAGNIS. LITHVANIAE. DUCIBUS. SANGVINE
GENEROSISSIMO
AB. INGENITA. ANIMI. ALACRITATE
A. SVAVISSIMIS. MORIBUS
ET. VITAE. PROBATISSIMAE. TYROCINIO
QUOD. EFFIGIEM. PATERNAE. VIRTUTIS
MATERNIQUE. GENERIS. DECORA. AD. VIVUM. EXHIBET
AB. INGENIO. MIRE. PERSPICUO
ET. AD. OPTIMAS. DISCIPLINAS
REIQUE. PUBLICAE. FELICITATEM
PENITUS. FACTO
COMMENDATISSIMO
ORATIONEM. SUAM. DE. ARTE. CRITICA
UBALDUS. MIGNONIUS. SCHOL. PIARUM
DEVOTUS. NOMINI. GENTILIBUSQUE. EJUS
D. D. D Q.

DE ARTE CRITICA
Ad Exetesticum Varmium.

SAepe ego mecum ipse tacitus cogitavi, Exetestice, quid causae foret potissimùm, quam ob rem tot ubique cùm pateant Academiarum Gymnasia ad juventutem bonis artibus informandam, eaeque artes non nisi Graecis, & Latinis literis contineantur, tanta deinde sit paucitas studiosorum, qui & latinè, & graecè, non dico admodùm, sed mediocriter sciant, illudque accidat nostris hisce temporibus monstrosissimum & vehementer dolendum, ut non solùm ei dissimillimum, quo olim integro, incorruptoque Romani utebantur, sermonem adhibeant, sed alio nunc Itali, alio Galli, alio Germani loqui propemodùm videantur. Etsi tamen id genus mali, unde plerunque proficiscatur, intelligo, quòd scilicet pervulgata loquendi consuetudine, ut plurimum abripiuntur, qui aures habent lingvae vernaculae proprietatibus tritas, easque ita rudes, & impolitas ad latinam adferunt, solentque omnia, vel cogitent, vel loquantur, ex patrii sermonis genio aestimare, nihilominùs, aut ego desipio, aut alia longè major, atque interior tam praeposterae locutionis origo extat, quae omnes o-

mnium artium fontes & ſcatebras, hoc eſt earum tradendarum rationem, quodam quaſi coeno, & paedore corrupit, neglectus nimirum ordinis in docendo, & naris ſenſus in odorandis limatioribus literis parum delicatus & gnarus. Alter ingenia turbat, ut penitus nihil ſapiant, innumera ut ſapiant barbara, inelegantia, & aliena, alter efficit. Quae duo, Exeteſtice, in bonarum artium tractatione offendicula, ut dicam, quo tandem ſtudio, & ſollertia praecaveantur, vehementer optas. Laudo equidem atque amplector voluntatem tuam maximopere, cùm quidquid optimum, & ſelectiſſimum in unaquaque re ineſt, id adſequi labore improbo non recuſes. Ad hoc eniteris animi contentione tanta, quantam vidiſſe me nuſquam gentium contigit. In quo ſanè praecipuè intelligo verti cardinem diſciplinarum, quae niſi ſcoriam & ſordes exuerint, nemo unus poſſit ad ſummam literati hominis famam pervenire. Dicam ergo, quod aequi, bonique facias, Ephebii tui commodo ut conſulas, Artem Criticam eam eſſe nobiliſſimam facultatem, qua duce, cujusque ope dumtaxat omnigenae eruditionis cenſuram omniaque poſſumus jam demortuae linguae faſtidia, & ſalebras evitare. Ea facem praeferens, aeque ordinem in docendo, atque in diſcendo facilitatem & elegantiam parat. Cui verò Criticae artis nomen non ſit auditum? Perſonat Criticorum vocibus forum, perſonant Academiae, conclavia, domus, aulae, Gymnaſia per-

ſonant.

ſonant. Et quiſquis ille fuerit, qui id temporis animum ad ſcribendum adjicere, ſuique nominis famam poſteritatis memoriae propagare contendat, hic è veſtigio, aut veterum aut recentiorum ſcripta cenſoria poteſtate caſtigat, omnesque omnium vocum apices, omnem ſyllabarum atomum, & quantitatem ſeveriſſimè expendit, & trutinat. Hinc factum eſt, ut, cùm natura ipſa impellente ad aliena carpenda vitia vehementer feramur, ſitque in venis quodammodo & ſangvine haec veſana cupiditas omnia temerè denigrandi, nulla hactenus extiterit diſciplina, quae ampliorem in literis familiam duxerit, & celeriùs in omnium animos proſeminata omnium quoque amores, & ſtudia occupaverit. Id, Varmie, non improbo, ſed in omnibus rebus videndum eſt quatenus. Ad Coelum etiam, ſi placet, magiſtram artium ingenuarum Criticen fero. Verumtamen etſi ea ex ipſo ſapientiae ſinu profluxerit, habeatque laudis in ſe & gloriae tantum cur expetatur, vereor, ut omnibus, qui hanc perſonam praeſeferunt, par cognitio reſpondeat, ſine qua, dum aliorum maculas, & naevos inquirunt, ſuam ipſi ſtupiditatem & inſcitiam produnt. Cui malo, ut qui Tibi dant operam adoleſcentes, facilè occurrant, eos commonendos eſſe putavi, qua demum illi ratione ad haec ſanctiora Mineruae ſacra lotis, ut ajunt, manibus veniant. Itaque illud efficiam quàm potero diligentiùs, ut apertiſſimè intelligant, *quanta primùm, & quàm merita*

aeſtima-

aestimatione Critice à sapientibus habeatur. Deinde, quàm multam oporteat rerum scientiam literarumque cognitionem ad hanc disciplinam adferre. Quae duo quasi oracula si penitus ipsorum animis inserantur, aut certè pudebit eos adhuc doctrina leviter adspersos & semidoctos, literati viri personam gerere, & de literis judicium ferre, aut quod ego maximè cupio, si id etiam ausĕrint, magnam sibi, lautamque ex omni genere disciplinarum supellectilem comparabunt.

Definitio Critices ex Cler.

Atque, ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur, Ars Critica ex eo procul dubio nomen invenit, quòd ejus ope scilicet, atque opera, de germana vocum significatione, deque vero scribentium aevo, ingenio, stylo atque indole rectè & ordine judicamus. Equidem, cùm haec nostra bonarum artium studia considero, soleo ea saepe Labyrinthi illius Cretici tortuosis parietibus comparare. Ambages illic dubiae flexusque viarum inextricabiles, exitum inde omnem mirabiliter intercludebant. At quae melior hercle conditio viam ineuntibus disciplinarum? Profectò perinde est. Nam qui pedem huc inferunt sapientiae orbem universum excurrere percupientes, nisi habeant ducem quem subsequantur gnarum, quo tandem putas incogitantes, & imperitos esse evasuros? Itu miseri, redituque cursantes diuturnis laboribus conterentur, pallescent, anhelabunt, corruent, & vix emissi repagulis, in ipso vestibulo doctrinarum animis spebus-

ſpebusque omnibus concident. Agedum, ſi tibi in tam ancipiti caſu aliqua ſeſe offerat diſciplina, cujus ductu & ſuppetiis

Inde pedem victor multa cum laude reflectas
Errabunda regens tenui veſtigia filo,

qua mehercle benevolentia Ariadnam hanc tuam complectere, cujus inſigni beneficio ex tam coeca viarum ambiguitate ad pleniſſimum veritatis, & ſapientiae lumen evaſeris? At verò quid aliud eſt Critice iter molientibus ad eloquentiam aliaque ſtudia honeſtiſſima literarum? Plena ſunt tricis, ſinite me hìc loqui paulò liberiùs, plena periculoſis decipulis ſpatia, queis ſtudiorum curricula terminantur. Redundant laciniis veterum monumenta, ſcatet hiſtoria fabulis ineptiſſimis, omnes omnium temporum literae in opinionibus natant, mendis inquinantur, anacroniſmis, dictionis impuritate, barbarie madent, ut difficile omnino ſit ſtudioſo bonarum artium adoleſcenti in tam foedam ſcriptorum turbam incurrere, quin elegantiam dictionis & ſententiarum nitorem turpiſſimè decoloret. Tot inſuper duobus ab hinc ſeculis librorum monſtra per aliquot homines ſeſquibarbaros in literarum penus invecta ſunt, ut omnium manus, gymnaſia, porticus mirabiliter occupaverint. Quare incautis, & imparatis minimè eſt integrum ab hiſce omnibus ſimul quiſquiliarum ſordibus abſtinere, praeſertim cùm illae in ſcholis ubique, & bibliothecis, & triviis fucata titulorum fronte, & membranarum elabo-

ratis ad luxum schedis, sese oculis quodammodo praetereuntium obtrudant, & in manus ferè transcurrere videantur.

Verùm ad declinandam orationis invidiam ab huic nostræ proxima aetate, in qua tamen doctissimi non defuerunt, quàm longè possumus, recedamus. Non erit nobis admodum laborandum, siquidem haec tam foeda corruptionis vestigia malimus in antiquioribus odorari. Quem autem fugit jam diu in eo totam esse literatorum consensionem, ut quae ad nos pervenerunt falsa, aut luxata sapientium scripta, ad nativae originis formam castitatemque restituantur? Quàm multa, DEUS bone, quae vel Chrysippum fallerent, circumferuntur! quàm multa à glossographis depravata! quàm multa denique in ipsis auctoribus fabulosa, & reprehensione digna! Curtius, qui omnium manibus teritur, cujusque aetas à Criticis ignoratur, in medium prodeat. Quot ille hyperbolas, quot crepundia, quot fabulas texit, quas subactioris judicii homines rident, atque exibilant? Praetereo, qui stylus, cui tamen ipse non adeo ut Clericus, interdico, etsi Rhodium, quo Livius, vel Atticum, quo Sallustius excelluit, omnino praeferam. Nemo autem nescit ejus dictionem esse perpetuò Rhetoris declamantis, licet admodum in descriptionibus floreat. Tempus, quo unaquaeque sunt gesta, aut per illum neglectum, aut perperam rebus adscriptum. Caspium mare, & Euxinum promiscuè habitum

habitum. Caucasum cum Tauro mistum. Arachosiorum regionem ad Ponticum mare proterminatam. Tanai Bactrianam à Scythia distractam. Arabas Troglodytas ad meridiem rejectos. Et sexcenta id generis pleraque, quae verè Curtium Ageographyton & oscitantem manifestis erroribus planeque palmaribus arguunt, quaeque imperitis, & dulcedine captis floridulae elocutionis suaviter ingeruntur. Non fumum vendimus Execestice, neque in obscuris versamur. Virgilius ipse, & Manilius, & Lucanus, & Florus, quàm multa in locorum descriptione peccarunt. Eadem Lexicorum herculea volumina, in quibus puri, putique sermonis thesaurus, veluti in quodam latinitatis promo reconditur, quot demum barbarismis affluunt, quot rerum monstris, & vocabulorum illuvie sordent, ut gratias, gratesque maximas debeamus Doleto, Schotto, Nizolio, Stephano, Francescoonio, Facciolato, aliisque pluribus, qui in hoc Augeae stabulum repurgandum tam laboriosè, tam sedulò incubuerunt.

Neque tamen hic finis malorum est. Criticos ipsos non semel dormitavisse quis crederet? Laurentium Vallam, ut unum eorum nominem, qui sibi regnum in literis posuerunt, legebam nuper curiosius, tum propter viri famam planè non vulgarem, tum propter egregiam anomaliarum, quas expedit, discussionem, quamobrem emunctae naris viris tantopere commendatur. Ecce tibi, dum lego, incurrit in oculos vox illa, jam omnium,

qui latinè sciunt, calamo expuncta *Concivis*. Hæreo paulisper anxius. Neque enim illicò persuadere mihi poteram hallucinatum fuisse Vallam, cui tantum in aestimandis verborum sensibus, & proprietatibus eruditi omnes deferunt. Verùm post longam & perturbatam respirationem, lectâ semel, atque iterum doctissimi ceteroquin hominis notâ, atque mirabundus mecum, Valla inconsulte, & miserè in hoc vocabulo caespitavit, nec elegantiae florem decerpsit, sed insolens, & perabsurdum verbum semisomnis & oscitans eructavit. O verè miseram studiorum nostrorum calamitatem! At iis etiam timere, qui sese duces, & praecursores ad sapientiae adyta properantibus praebent. Atque haec literarum conditio misera, & deploranda jam inde à principio, ut Galenus memorat, cùm Pergami reges atque Aegypti principes Ptolemaei hominum praeclarorum scripta colligere, & librorum bibliothecas extruere diligenter coeperunt, innumeris patuit mendis, & dolis, & fabulis, & corruptionibus, quibus homines lucri cupidi adulterina, vitiata, supposita nundinantes, egregiè posteris imponere studuerunt.

Quae cum ita sint, quam meritis parem gratiam Criticae referemus, cujus ope, & labore factum est, ut ex tam implicatis, operosisque difficultatibus expediremur? Eam omnes artes ingenuae, unam quasi vindicem pristinae dignitatis amplexantur, & colunt. Eam parentem vocant. Eam veritatis indagatricem ad Coelum efferunt,

&

& ferè divinis honoribus prosequuntur. Jacebat laudandarum omnium artium procreatrix Philosophia densissimis nugarum, schematum, & paralogismorum nebulis involuta. Quis jacentem erexit & clarissimarum cognitionum luminibus illustravit? Plena erat historia commentitiis fabellis, plena insignibus anacronismis, plena factorum, nominumque suppositorum mendaciis impudentissimis. Quis vitae magistram ex tanta rerum infamia, & maculis liberavit? Astrorum cognitio, atque terrarum, quibus praejudiciorum erroribus laborabat? Quae monstra solem, lunamque occupaverant? Quàm inania de crystallina Cœlorum soliditate, de recondita lucis natura, de Cometarum, & siderum cursu, situ, magnitudine, quàm absurda de terrae rotunditate praedicabantur, quantâque sui parte illis hominum ignavissimis, qui nihil, *praeter sua litora norant*, Orbis incognitus habebatur? Itaque Criticae artis studio obtinuimus, ut ne tanta pars rerum cœlestium, & terrenarum ignoraretur. Critice Nili fontem, & fontium origines. Critice ignis gravitatem, & vim ejus ingenitam latè per venas terrarum, & cuniculos permeantem. Critice ventorum, & fulgurum, & pluviarum caussas. Critice Cœli materiam mutationibus obnoxiam, & quae corrumpi, convertique possit, nuperis explanationibus demonstravit. Nec verò medicas disciplinas, aut Legum scientiam, aut Mathematicum pulverem, aut divinarum rerum exquisitionem

Critice praetermisit. Sacra posteris erunt, & digna memoriâ temporum sempiternâ eorum Scriptorum nomina praeclarissima, qui tam bene, tam summè de his facultatibus meruerunt & Willisius, & Helmontius, & Bellinus, & Hoffmanus, & Galileus, & Grandius, & Salmasius, & Petavius, & Huetius, & Pagius vigebunt commendatione seculorum omnium, neque ulla aetas, ulla gentium, aut Literarum monumenta de tam egregiis sapientiae, & veritatis vestigatoribus conticescent.

Ars Critica vetustissima.

Nolo tamen in animum inducatis, Juvenes navi, tam praeclarae facultatis initia nostris hisce primùm temporibus extitisse. Non is ego sum, ut majoribus nostris hanc laudem invideam, quos in disciplinis, aut inveniendis, aut recoquendis, multum laboris, & vigiliarum impendisse quis eat inficias? Praesertim, cum non ingeniorum illius temporis vitio vertere artium acerbitatem, sed inopiae soleam instrumentorum, rerumque plurimarum, quae nostris hominibus opitulantur ad earum tractationem, usumque maximè perficiendum, atque expoliendum. Scio jam inde ab Aristotele Criticen cœpisse florere, eumdemque Homeri Graecorum Principis poëtarum Iliadem censoria virgula notavisse, quam tanti viri judicio accuratissimè dedolatam, ex narthecio postea homines vocitare consueverunt. Scio fuisse Aristarchum, qui eamdem spartam ornavit. Hunc tam certa, ponderataque doctrinae lance instructum Aelianus memorat, ut Homeri versus non putare-

tur,

tur, quem ipse minimè probavisset. Scio Aristophanem, scio Cebetem Thebanum, aliosque praeterea loci innumeros, tum Philosophos, tum Grammaticos floruisse, qui locum Criticis honoris & laudis amplissimum meruerunt, quare non hac aetate Criticen, dico, repente natam, sed peracerbam jam pridem, & inchoatam, ad frugem quodammodo, maturitatemque feliciter pervenisse. Hanc igitur artem intelligendorum veterum recentiorumque Scriptorum, hanc scientiam, Latina à barbaris discernendi, quaeque genuina sunt & germana, dijudicandi, hanc denique facultatem, quae omnium literis tantopere praedicatur, laudo, commendo, praedico, navosque Juvenes hortor, & moneo, ut quemadmodum nihil pejus odisse, quàm inscitiam, & sermonis inopiam, & impuritatem sese fortasse ambitiosiùs gloriantur, ita habere in amoribus artem studeant, quae cœca animi praejudicia nitidissima Sapientiae luce depascit.

Venio nunc ad alteram orationis partem, & quàm multam oporteat rerum scientiam, Literarumque cognitionem ad hanc disciplinam adferre, invictissimè ostendam. Etsi videor mihi hac oratione perinde agere, ac qui olitoribus olera commendare pro virili parte contenderet. Quod enim studium hercle impensiùs nostri aevi sagacitas consectatur, quàm Criticen? quam ob rem gratulari potiùs sponte currentibus, quàm calcaria subdere oratio debet. Nam si quodpiam, cujusque fuerit, ad ipsam Tullii, vel Maronis lucer-

nam

nam sedulò vigilatum opus offenderint, adhuc cincinnorum fimbriis, Adolescentes, balanum inhalantes, peream funditus, nisi sexcenta aucupantur, quæ contorta nare fastidiant. O factum bene! Ast euge musarum delicium. Tune igitur, operam navas Criticae? Praeclarè quidem. Id enim in summis tuis Laudibus pono. Sed qua trutina, amabo te, libraque uteris, ad cujus normam, & perpendiculum hoc tantum censurae munus, exigas tam maturè? Quin taces? Tibine videor lapides loqui, an portenta? Peramplam, credo, saltem Scriptorum copiam paraveris, qua selectum tibi Librorum penus suppetat. Papae! quàm lautum eruditorum apparatum! Unus vel alter fabulator omnino est instar omnium. At at, quàm pulchra hic, & solida, & succi plena! En tibi Petri Cornelii, Mollerii, & Raffini tragediae, & mimi. Mercurius deinde Hollandicus. Veneta, & Lipsiana de Literatis judicia. Socrates Britannicus, & Phenelonii Telemacus. Persicarum, Judaicarum, & Turcicarum rerum epistolæ. Gilblasii Psittacus. De Spiritu Legum Montesquius. Deque totius orbis peragratione Salmonius, & Tavernerius. O ad acrem & fastidiosum nostri aeui saporem, quàm bellè parta! ingeniosa ea quidem omnia, bonaeque frugis pleraque, non inficior, & quae subinde ad animum usu rerum, & vivendi sagacitate formandum accomodata, subsecivis horis pervolutare, si collibet, per me licet. Sed ubi tabulae praecipuarum regionum ad historicos in-

offenso

offenſo pede verſandos? Ubi Sphœrae armillaris globus? Ubi Cluverius? Ubi Mythologiae anteceſſores Diodorus Siculus, & Hyginus ad poëtas funditus pernoſcendos? Ubi Henricus Stephanus de epiſtolis conſcribendis quò loci pertinent, & Muretus, & Vives, & Manutius, & Sadoletus, & Nicius Erythraeus. Chronologiam inſuper, qua nil eſt in toto orbe diſciplinarum ambiguum magis, & inplicatius, Cenſor hic noſter non ignoraverit. Unaquaeque nimirum aetas ſuis eventibus illuſtratur, ſua ingenia canit, ſuos habet loquendi modos, ſuis demum opinionibus ducitur, ad quae non raro Scriptores conciſè, & preſsè digitum intendunt. Petavianum itaque Rationarium, aut Chriſtophorum Cellarium ſaepius revocabit ad manum. Dictionaria praeterea hiſtorica, aut Abrami Ortelii, aut Caroli Stephani, aut Jacobi Hoffmanni ad conſilium aderunt. Hugonem Grotium his adjecerit de Significatione ſingularum vocum, Polybium deinde, & Dionyſium Halicarnaſſaeum, & qui plenam Romanarum conſuetudinum, & opinionum deſcriptionem elaboravit, Joannem Roſinum. Viderit etiam quid Juſtus Lipſius de militia, quid Octavius Ferrarius de re veſtiaria, deque re uxoria Franciſcus Barbarus, quid Franciſcus Balduinus de pedum indumentis elegantiſſimè diſſeruerunt. Quid plura? Hominem criticae artis gnarum, & Georgium Graevium promum condum totius antiquitatis, & Gaſparem Scioppium, & Voſſium, & Hadrianum Car-

dinalem, & Antonium Schorum, & Obertum Gisanium, & Guillielmum Budaeum, & Godescalcum Stewechium, & Joannem Clericum, & Heineccium credibile est in Libris habere praecipuos, eosque nocturna versare manu, versare diurna. Sic enim fieri poterit, ut ad Scriptorum censuram, & imitationem, non hospes omnino in literis, & peregrinus accedat. Secùs verò, quì possit, ut Phaemius ille Homericus, quem, quia nullo docente doctus à natura mirabiliter extitit, autodidacton veteres dictitarunt, tam multa, tam dissimilia, tam varia, sine infinita propemodum Librorum copia cognoscere? Quanam ille trutina, Virgilium Hesiodo, Oppianum Gratio, & Nemesiano, Tibullum, & Propertium Ovidio, Juvenalem Persio, Senecam Euripidi, Nicandrum Lucano, quem latrare, sapientes, non canere judicarunt, praestare, atque excellere pronunciabit, nisi quinque in primis Poëseos aetates, & quæ de ipsis Scaliger, vir omni posterorum memoria clarissimus, scitè atque eruditè conscripsit, accurata meditatione digesserit? Itaque Candidatum criticae artis hunc nostrum haec sibi pleraque, atque his etiam longè plura, doctorum hominum commentaria collegisse puto. Et quæ insuper selectioribus formis, aut Elzeviriorum, aut Gryphii, aut Plantini, aut Aldi. aut Frobenii castigatiora, viris magnis probari maximè consueverunt. Multum quippe interest rei Litteariae, ex quo fonte, quibusque authographis rerum scientia promatur,

nam

nam quae de faece trahuntur, impura, quae de ſuo capite derivantur, germana, & munda in ſuccum facilè & ſangvinem, mirabiliter convertuntur. Verum iſta quid moneo? quorſùm Ego haec colligo, ut Criticum fingam? Non hiſce nunc ſcioli adjumentis egent. Sunt haec veterum, non noſtrorum temporum praeſidia diſciplinarum. Modo brevitas, & compendia ſtudiorum placent, & ſine ulla bonarum artium notitia, ſine eruditorum vigiliis, ſine linguarum captu, ſine conſuetudinum, ſine hiſtoriarum tinctura, perdifficilem noſtri homines cenſurae magiſtratum ſuſcipiunt, & publicam in conviviis domeſticiſque colloquiis, Ariſtarchi perſonam inſolenter, ac temere repraeſentant. Deus immortalis! ſi Librorum paucitas impediret, quo minus ſapientûm opes comparari poſſent, ferrem equidem iniquo animo, ſed tamen ferrem, tam praepoſteram oſcitationem. At non ea eſt hujus aevi conditio, quae olim Athenis fuit, in qua Urbe, unam Iſocratis orationem viginti talentis, hoc eſt, aureorum noſtrorum duodecim millibus veniſſe compertum eſt. Non hic Alexandri Regis theſaurus eſt opus, quem, Animalium hiſtoriam à Præceptore olim ſuo divinè exaratam, quadringentis & octoginta aureorum millibus aeſtimaviſſe, ac redemiſſe tradidit Athenaeus. Ut nobis Sapientiae promus parari poſſit, ſatis ſuperque erit, ſi Ludis pecuniae aliquid, ſi cupediis, ſi venationibus detrahatur. Satius, ſi animum ad Criticen adjicientes, nobis affluens, & luculentum,

non apinarum, & muliebrium munditiarum, ſed doctrinarum patrimonium, non ad perfruendas voluptates, ſed ad veritatem inveſtigandam conflabimus. Tandem, cùm haec omnia nobis ſuppetere videbuntur, etſi ego Criticae artis intelligentiam in oculis feram, & ceteris Sapientiae laudibus anteponam, ad quas non niſi maxima ingenia adſpirare poſſunt, illud tamen altius animis inſeramus neceſſe eſt, ſcientiae apicem, ſi Socrati credimus, in eo ſitum eſſe, ut funditus intelligamus, nos longè plura ignorare, quàm ſcire.

Atque haec Exeteſtice, Paedagogii tui gratia diximus. Quotus enim quiſque tam patiens, ut juvenculos à nutricibus heri, vel nudius tertius, emancipatos aequo animo ferat, eò vecordiae, impudentiaeque procedere, ut mortalium eruditiſſimos aliquando, in centumvirale judicium, vocare audeant, illoſque arroganter traducere, ut bardos, quod non eam fortaſſe mirabilem diſciplinam, quam ipſi intercutem habent, de numiſmatibus, & cimeliis, & diaglyphice profitentur, quae ſcientia eſt praecipua noſtrorum temporum, ſummoque loco à voluptuoſis & delicatioribus habita, cujus deinde voce, & Caeſarum ſeriem, & Conſulum recitant, atque ita iconibus comparandis inſtructi, in theatro verſantur.

Quare autem tam abſurdo conſilio miſeri ineptiant, illud mihi potiſſimum in cauſa videtur eſſe, & quod initia ſtudiorum, non recto diſcendi ordine praeſcribantur, quodque in praeceptoribus

ſapor

ſapor ſit parum acer & delicatus, imò verò in optimis deligendis hebetatus, & mancus. Id ergo diligentius expendere in hoc extremo orationis, neceſſe duco, tecumque Exeteſtice communicare, ut errori, ſi quis eſt, ab ipſis ſtatim doctrinarum carceribus obnitaris, ne forte praejudicata à primordiis opinio callum obducat ingeniis, quem deinde vel numquam poteris, vel maximo cum labore expugnare.

Pro Arte Grammatica, & humanioribus literis.

Equidem ita ſentio, in unaquaque re eſſe primum origines inveſtigandas. Quare multum admodum mihi ſapiens illorum probatur ratio, qui in tradendis ſcilicet vel Theologicis, vel Philoſophicis diſciplinis, prodromam de ipſis hiſtoriam praefantur, & quando gentium natae, qua aetate floruerint, quibuſque praeſertim anteſignanis proceſſerint, commonefaciunt. Exinde enim docendi perſpicuitati, rerumqué penitus diſcendarum intelligentiae accedit plurimum. Latinus ſermo, ut ab hoc exordiamur, in quo omnes bonarum artium opes coeunt, & congeruntur, juxta, atque alia cuncta diſciplinarum genera, infantiam ſuam, adoleſcentiam, virilitatem, & ſenium habuit. Poſtremò non obiit quidem, ſed enim ad interitum aegrotavit. Hinc à facilioribus cùm ſint petenda principia, quae ſunt in medio, quaeque aliquam redolent novitatem, iccirco faciliora, quae à Junioribus arripiantur, ſuo quaeque ordine ubi Syntaxim attingimus, proponamus. Perverſius verò nihil, quàm quod aliqui faciunt. Admittunt

enim perperam, Latinum quoddam ſermonis genus agreſte, & vulgare, & ex ipſa faece conflatum, ad colloquendum pueros uſurpare, quò omnino efficitur, ut barbarè loqui cum uſu diſcant, etiam ſcribere vel inviti cogantur.

Itaque hiſtoriam Latini ſermonis initio condoceantur, ne ſubinde in librorum lectitatione, quibus operam pedetentim dabunt, hallucinentur. Sic voces hibridas, & archaiſmos actutùm cauere incipient, ſcriptorum judicio lato. Ad Numae Pompilii Regis obſcuritatem, Latinae locutionis pueritiam eruditi omnes referunt, quo tempore balbutire, & vagire cœptum eſt neſcio quo rudi dialecti genere ab Evandri fortè Paſtoribus, & bubulcis accepto. Saliaria tùm carmina, Martis Antiſtites pepigere. Ut hinc Muſis nutricibus debere nos incunabula Latinitatis, eaſdemque ad partum adhibitas intelligamus. Quàm verò incondita fuſcarum vocum inflexione ea lingua tum ruderet, illud planè ſuadet, quod Ciceronis aevo; vix, & ne vix quidem perciperetur. Subſecutae ſunt Regiae, & Decemvirales leges, ſtatimque Naevius, Ennius, & Pacuvius conſpicui. Jam inde Latinus ſermo adolevit. His proximi Terentius, & Plautus. Hactenus tres aetates exactae, infantiae ſcilicet, pueritiae, & vegetioris adoleſcentiae, quam virilitas conſecuta. Quare Tullius perfectam, & abſolutam latinae lingvae maturitatem, ubi ad ſcribendum, & declamandum incubuit, ducem habuit munditiae ſuae, cum

ipſe

ipſe ingenuè omnem ſermonem, & ſermonis leporem, & venuſtatem in libro de ſenectute, Catoni ſeni tribuendam eſſe fateatur. Coaevus Caeſar, & Nepos. Livius praeterea, & Vellejus, & Lucretius, & Catullus, & Maro, & Horatius, & Tibullus, & Ovidius, & Propertius, & Gallus, aliique non pauci, ad Tiberii uſque principatum, aureo ſeculo floruerunt. Hinc declinare latinitas coepit, & paulatim ſenio obſoleſcere. Senecae duo tamen, & Pomponius Mela, & Corn. Celſus, & L. Columella, & Plinius uterque, & Quintilianus, & Suetonius, & Tacitus, & Lucanus, & Perſius, & Silius, & Juvenalis, & Val. Flaccus, & Martialis primaevo illi elegantiae flori affiniores, rem labantem ſuſtinuerunt, quam adhuc barbaries minimè afflaverat.

Exinde peſſum ire, præſertim Hadriani temporibus, dictionis nitor penitus viſus eſt. Tum demum extinctus, cùm Imperii ſede Byzantium translata, Senatu, cum faſcibus, & Curulibus migrare juſſo, Roma cunctarum rerum Domina expalluit, eâque in luctu, & moerore contabeſcente, populi auctoritas, Capitolii majeſtas, triumphorum magnificentia, & bene loquendi lautitiae omnes & Veneres contabuerunt. Ad haec. Effuſa ſuis ipſa rupibus, Vandalorum, Hunnorum, Gothorumque colluvies, veteris inimicitiae memoria ferox, Italiam totam, atque adeo Reginam Orbis invecta eſt. Ubique tunc clades, & direptiones ſunt debacchatae. Sed quod caput eſt,

Archi-

ſyae poenam perferant. Poſt tam multam deinde praeclarorum virorum ſeriem, alia, atque alia continuò eſt conſecuta. Et Victorinus Feltrenſis, & Blondus, & Franciſcus Petrarcha, & Joannes Bocatius, & Valla, & Philelphus, & Panormita. Huic numero adcenſeas Aenaeam Sylvium Piccolomineum, qui poſtea ſummum adeptus Pontificatum, Pii ſecundi nomine innotuit. Subvereor quippe, ne huic viro ceteroquin doctiſſimo hanc Laudem invideas, quod ille Cardinalis jam renunciatus repulſa accepta debuerit ab hujuſce Eccleſiae ampliſſimo ſacerdotio adeundo abſtinere, fueritque propterea Varmienſibus tuis paululum ſubiratus. Quid autem literis cum Principum ſimultatibus & ratione rerum publica? Ex eodem penore Gregorius Trapezuntius, Baſſario Nicaenus Antiſtes, Gregorius Tifernas, & Nicolaus Perottus, qui Grammaticam concinnavit, aliiqui plurimi ad hanc uſque aetatem literis, & literatis hominibus florentiſſimam prodiere.

Delibata ſic veteri, recentique Latinitatis hiſtoria, ut quid interſit, Scriptorum genium, & characterem diſcernere tyrones calleant; inde enim tota bene educandae, veluti primo lacte, pueritiae, optimorum forma ad imitandum propoſita, ratio pendet, ad interiora quàm breviſſimè provehantur. Illud autem certum omnino eſt, quod praecepta, & obſervatio puerum docent. Exemplis tamen quaſi imaginibus, magis quàm praeceptionibus erudimur. Iccirco perſpi-

cua praecepta ſint, & vibrata; exempla filo uberiori, non ea quidem ex noſtris facultatibus, ſed optima quaeque ex optimis auctorum ſcriptis excerpta tyronibus apponantur. Horum ſyllogen ad omnimodam ſtyli ſpeciem elaboratam, ſi quis aveat percurrere, cl. Heineccium, & Jo: Clericum adeat. Ego verò minimum de praeceptis laboro, etſi ea, pauciſſimis ſi includantur legibus, non interlino. Sunt enim pleraque à multis obſcurè & confusè ex veteribus compilata, quae in idem recidunt, exucca licet, & ſterili verborum mutatione recocta. Pauci admodum in hoc genere, doctorum judicio, excelluerunt, & ſi verum perplacet, nemo hactenus; niſi velis breviſſimum, & compendiarium Franciſci Serrae Neotyron pluribus anteferre. Ceterum tot varia ſunt, tamque opipara horum hominum myrothecia, ut ſi velis heluari cuncta, crudus poſtridie, & deinceps ſtomacho laborabis. Quod autem arbitror rei toti in primis conducere, illud eſt unum maximè, ut adoleſcentium ingenia, declinationibus, & conjugationibus repetendis praecipue excolantur. Deinde, ut vocabula, quàm poſſunt, plurima quotidie memoriae affigant. Ad haec numeralis ſcientia. Ortographycae, Etymologicae, & Analogicae artis, ſimulque ornatae, & concinnae ſyntaxeos fundamenta adjiciantur. Aldus Manutius, Dauſquejus, & Chriſtophorus Cellarius pro recta ſcribendi regula, caſtigatiores, quorum monitu non ex marmoribus monumenta, ſed potius ex

numiſ-

numismatibus repetenda, de quorum usu, & praestantia Spanhemius erudita disquisitione, nos docuit. Praeterea in particulis aptè adhibendis, quae sunt aurei quidam quasi anuli, quibus sensa comprehendimus, Horatius Tursellinus, & Godescalcus Stewechius, praecipuas habent. Ludovicus verò Straebaeus selectum verborum, eorumque numerum, & collocationem tradit, ut ab ungviculis pueri castitati dictionis leniter assuescant. Denique adagia luculentiora ex Colloquiis, & chiliadibus Erasmi Rotherodami excerpantur. Hisce enim salibus adspergenda est oratio, ut sapiat. Cumque lepidis semper, atque acribus peracutae alicujus sententiae argutiis, adagia pruriant, incredibile est, quàm facili negocio studiosorum animis imprimantur. Haec Grammaticis scribimus, quorum sollertiam, ut bene gerens sui muneris efficiatur pro penitiore rerum intelligentia, ad perspicuos auctorum fontes remisimus. Impossibile quippe est, ex librorum inopia, tum in omnibus disciplinis, tum maximè in latini sermonis eruditione proficere. Libri autem ubique prostant. Sibi eos comparare facile est cuilibet, modò pluris scientiam, & scientiae subsidia, quàm pecuniam faciat.

Iacto igitur solo superaedificandum est, ad fastigium humanioribus literis imponendum. Natura enim ipsa studia discriminavit, ut primam aetatem lingvae, alteram eloquentiae, postremam verò legibus, & majoribus disciplinis distribuamus.

mus. Hujuſce autem partitionis cauſa, illud eſt, quod ratio in ſingulis, & cogitandi facultas, cujus opera ad veri captum traducimur, non repente, ſed ſenſim viribus adoleſcit, etſi aliqui citius, aliqui ſerius, ingenio valent. Quare non raro accidit, ut fructus, illi, praecoces, quod generoſioris eſt arboris, promant. Alii verò maturiùs quidem, ſed ſubacta ratione magis, magiſque adulta, uberiùs, & diutius foetant.

Pro Arte Rhetorica.

Itaque Candidatus hic noſter, ex humili Grammaticorum Lare, & gurguſtio, ad ſublimem cunctarum artium Principis, Eloquentiæ Arcem, ubi lautitiae omnes, & charites ambroſia vivunt, adſcendere plenis gradibus, vehementer optat. Gnarè quidem, & ſtrenuè. Verùm enim verò, cum in veterum ſcriptis ſapientia habitet, ſintque ex illis ea deligenda, ad quorum ſpeculum noſtra dicendi ratio comatur, quippe haec tota ſtudiorum vis & facultas eſt in imitatione poſita, rogo dic ſodes, num certa methodo utaris in praelegendis auctoribus, & contubernalibus copulandis, qui ſibi invicem & manum praebeant, & ad ea, quae legimus illuſtranda conſentiant. Haec Exeteſtice curarum maxima. Id ſanè, ſi in rem ſcholaſticam quippiam facit, id, inquam, caput, Auctorum methodus legendorum, quorum ſuccus caſtigati ſermonis paulatim expreſſus latinum hominem fingat. Quod autem dicam, cum eruditioribus, & ſapientioribus dico. Principem locum Phaedri fabulis damus. Sunt enim & captu faciles

De ordine in legendis Auctoribus obſervando.

faciles, & nitore illo mirabili priſcae Latinitatis pleniſſimae. Atque hic ego humaniorum orbem univerſum, non claſſes literarum conſidero. At, cum haereat hiſtoria ſine Geographiae cognitione, Eutropio, & Cornelio Nepoti daturis operam, Pomponius Mela ſociali foedere conjungatur. Romana res tota ex uno, Graeca ex altero, aut ſaltem praecipua arripientur. His percurſis, aut majorem partem, naviter delibatis, ad Terentium, Ciceronis epiſtolas libroſque aliquot ipſius philoſophicos, ut de officiis, aut finibus, accedamus. Hinc aditus ad ſelectas orationes, ad Caeſarem, Salluſtium, & Livium. Svetonii deinde, Plinii, Taciti, Plauti, & Senecae, depaſcenda ſunt pleraque, atque ita ſane per Latii delicias omnes, & amoenitates liberè divagandum, quin Herculi ſoccos aptare videamur, rite nimirum, atque ordine, in auctoribus volutandis, cauto.

Interea loci humanioribus literis initiatus operi manum admoveat, atque earum, quas in ſcriptoribus recenſuit, rerum & ſententiarum imitationem, de qua Riccius Lugenſis agit pluribus, aggrediatur, ut quid ipſe lectione profecerit, periculum faciat. Hìc autem navi ductoris eſt indicare, qui cuique ſtylus, quae ratio ſcribendi ſapiat, ut exemplo propoſito, quid ſimile proferatur. Quatuor enim ſunt ſtyli genera pro cujuſque ſcriptoris ingenio, atque indole, quae eruditis probantur, Laconici, nimirum, Rhodii, Attici, & Aſiatici · quorum ſpecimen ſingulorum abſo-

luciſſimum Heineccius edidit. Ut ut eſt cuique naturae habitus, eo ſtylo utatur ſuo quiſque more, neque enim invita, ut ajunt, Minerva, unum procedet cubitum, aut proficiet quidpiam. Junioribus verò, ut plurimum, Aſiatica illa redundantia perplacet, quod ingenitus ipſorum vigor fervidus, curſu, recurſuque idearum praerapido ita animum perciat. Fervida autem agri natura frugifera etiam magis & racemorum luxuria, & fructuum ubertate ſuperfluit. Diverſimodè tamen hiſtoria, Concio, Panegyris, Epiſtola, Inſcriptio loquitur. Suum cuique dicendi genus, pro quo penitus adſequendo, Caſparem Scioppium, & Quintilianum, Cic. de Orat. & Muretum conſulere, cuique eſt integrum. Quam ob rem in epiſtola Aſiaticè loqui, in vitio ponitur. Pro concione verò Hyperidi, & Lyſiae florida illa feracitas comparabitur.

Quid ergo ab iis, qui rudimenta ponunt ad ſtyli genera comparanda, erit penſi exigendum, ut viam moliantur, uſuque exerciti aſſiduo, nitore elocutionis, & ſententiarum pondere, & gravitate valere incipiant? Eadem ipſa Exeteſtice, quae praelegerunt, vernacula primùm lingva tranſlata, ſine reſpectu ad exemplum, unde ea tranſcripſerunt, ſuo marte iterum latinè proferant, & aliunde collectis ex auctore ipſo vel alio quopiam elegantiarum opibus, & ornamentis ita conveſtiant, ut & ſenſa retineant, & novum aliquid exprimere videantur. Pauli Manutii viri clariſſimi,

mi, & eloquentia illa epiſtolari aculeata, & perſpicua, omnium judicio commendatiſſimi, haec via fuit conſularis ad Latinitatem adipiſcendam. In hiſce ergo auctorum verſionibus Tirones, ſi aſſidui fuerint, mihi crede, adſpergentur ſenſim aureo illo dictionis rore, quo auctores praeſtant, & incogitantes etiam phraſium copia & proprietate ſermonis affluent. Enimverò latinae lingvae, ut ceterarum omnium habitus, hac ratione praecipue, potius quàm retruſis, & abditis praeceptionibus comparatur. Id ubi fuerint adſecuti tum demum oratorem agere, hoc eſt in ſuas quaeque partes incipiant cogitata commodè diſpenſare, orationis habendae, atque ornandae legibus juſſis, quarum typum abſolutiſſimum, oratorum Principis opera condocebuntur. Nihil hic de Poëtice loquar, nihil de Poëtarum ingenio, quorum opes, ad haec maximè ſtudia pertinent. Intermortua ſiquidem eſt eloquentia ſine floribus Poëtarum, quorum furor quidam quaſi ſpiritus eſt, quo haec ratio tota dicendi mirabiliter animatur. Sed de hoc alibi uberius. Nam liberae, & ſolutae orationis notae longè aliae ſunt, & diverſae. Quare hoc in primis periculum, ut qui non benè experientes ſunt, utriuſque vim atque ordinem interturbent, & in libera oratione Poëtae, in adſtricta vulgares, & proſaici videantur. Ciceronem iccirco tamquam ſolem inter ſydera, unum dumtaxat adoleſcentibus proponamus. Redundat ille omnibus eloquendi modis, & quicquid ſcribere

velis

velis, quicquid differere, id totum in illo expressum ad miraculum exhibetur. Recentiores autem, quamvis castigatissimi, sunt enim multi nostra hac aetate & anteacta clarissimi, ut Sigonius scilicet, Navagerius, Muretus, Averanius, Lazarinus, Paulinus, Politus, aliique plures, quos ego cum nomino, honoris gratia nomino, non nisi adulta in junioribus eloquentia, diuque vigilatis versatisque Ciceronis operibus attingantur. In hoc enim fontes, & fontium capita, in illis eloquentiae haustus, & derivatio. Et licet magni sint, & graves, & omni genere Lautitiarum locupletissimi, Ciceroni tamen, quae ipsorum est aequitas, principatum deferre non dedignantur. Quod multum attinet commonere, ne rivos pro fontibus, & pro originibus aquarum ductus sectemur.

Jam diximus observationem esse in primis, boni Rhetoris studium. Ea maxime in detegendis scribendi salebris, opus habent signiferi Literarum. Debent enim ipsi funditus expiscari; & similia à similibus, quae sunt specie tenus ferè eadem, acutè discernere, ne tyronibus fucum faciant. e. g. Continentia, quid ab abstinentia differat, cujus generis prope innumera, in auctoribus ostenduntur, de quibus tamen judicium ad Grammaticorum Synodum pertineret. Debent insuper earum vocum, quibus oratio nectitur, vim, & spiritum acriter odorari. Sed omnium maximè debent dictionis sensa pervadere, in quo Critice sibi tantopere gratulatur & plaudit. Quid enim

fœdius

fœdius, magisque absonum, quàm exotica quâdam absurditate aliena prorsus à consuetudine, à praeceptorum legibus, reique natura ipsa insolescere? Audivisse me memini Rhetorem quempiam, cui prima subsellia sciolorum judicio decernebantur. Hic, cùm publicum de literis experimentum faceret, ut Diogenem Cynicum ad vivum exprimeret, ingeniosè ut putabat, Eum hac periphrasi ex dolio illo suo homines allatrantem delineavit. *Doliaris ille Philosophus versatilis orbis lubricus habitator.* Profectò minimum ab fuit, quin risu dissilierim, mirum quippe est, quantum ista imaginum putidarum deliria, habeant nugarum, & faecis, quae quacumque lingva vertantur, scurrile, & mimicum sonant. Huc hyperboles, & intemperantes metaphorae. Proclive est scilicet earum usu, & excessu extra limites agi. Nam Florus ipse qua emphasi tumet lib. 4. historiarum, cum M. Antonii naves basilicè descripturus, *Castellorum,* inquit, & *Urbium specie, non sine gemitu maris,* & *labore ventorum ferebantur,* quo dicto hyperbolicum nihil & poëticum magis. Quid autem mehercle, de Anglicis modo classibus, & Hispanicis, de Gallicis, & Batavis cogitaret? Montes ipsos, credo, & regiones integras, atque Insulas, innare fluctibus diceret fortasse veriùs. Et quoniam illud saepius mihi excidit differenti adverbium *meherclè*, occasione parta, monendi sunt quidam, qui styli ethnicismo plus aequo indulgent, ut Bembus sci-

licet. Ego verò ſic judico, Ethnicorum voces hujuſmodi licere omnes, quae jam communi conſenſu literatorum, ab ipſorum doctiſſimis uſurpantur. Neque in hoc cl. Heineccio acquieſco. Ipſo enim judice, quamobrem, *aequo Jove, irata minerva*, dicere non abſurdum, interea dum aedepol, & medius fidius, diris omnibus devoventur? Nunquid Minerva, & Jupiter expiati jam, & adſperſi, impiam ſuperſtitionem proluerunt, mendacia reliqua nefas olent, & Chriſtianum hominem dedecent? Sed haec omittamus minora. Ad illud venio Exeteſtice, quod cane pejus & angve, odiſſe eos volo, qui tuis monitis erudiuntur. Proh! quàm foedum eſt, ac praepoſterum ex gentilitiis praeclararum familiarum clypeis, mecaenatum laudes, & decora derivare! Quàm inflexo, haec putida, ſupercilio, ab omnibus excipiuntur, qui verè ſapiunt! Enimverò, vel Graculum, puta, vel Caprum, ad cujuſpiam encomia detorſeris, alterum ſcilicet in avibus ſagaciorem, Lybico Hammoni aut coeleſti parem Arieti, alterum praedicando, quid demum ages? Crocitabit oratio, & hircum graviter olebit tota, quo genere hircinarum laudum neſcio an miſeri mecaenates, modò ne lapides fuerint, in ſinu gaudere poſſint. Gryphem egomet pro ſolemni Academiae proluſione, in proſcenium olim inductum memini, quod is erat nobiliſſimae gentis inſigne. Quàm frivola mediusfidius! quam mimica dicta ſunt Gryphi gratia! quanto autem theatri

tri cum ſtomacho, meras nugas, & apinas nauſeantis! Haec neceſſe habui Exeteſtice, commonere ut ne deſipiant tyrones tam falſis, rudibuſque imaginibus capti, quarum praeſtigiis ii etiam, qui literarum ſibi cenſuram, & emendationem ſumunt, non rarò ineptiſſimè inſaniunt.

Sed de his abundè ſatis. Tot ſiquidem in hoc genere, ex auctoribus, quos recenſuimus, ſubſidia aderunt, ut niſi volens, lubenſque, caligare in ſole, ut dicitur, nemo poſſit. Cetera paucis expediam, nam quae de Phyſicis, & Theologicis diſputantur ſunt adeo multa, ut ea ſi quis velit diligentius expendere, dicendi exitum inveniet nunquam. Verumtamen, quod omnium calculo eruditorum probatur, quemadmodum humanioribus literis elementa Grammaticae ſunt praeponenda, ne ſine ſolo aedificium inaniſſimum extruatur, ita commodùm in philoſophicis Geometriae fundamentum ſolidiſſimum ſubjiciendum, quò & ſtudioſorum ingenia demonſtrationibus acuantur, & inde maximè ſcateant, unde ipſa veritas non adumbrata, ſed expreſſa dimanat, quae mox in phyſicis, & metaphyſicis reviviſcant. Ceterum ea mihi eſt opinio, ut in hoc genere doctrinarum, nullo partium ſtudio abripiamur. Libertas in indagandis naturae effectibus neceſſaria, quibus nulla certa divinitus afflata veritas praeit. Et quiſquis ille fuit, qui de philoſophia Moſaica commentarium edidit, ob rei inſolentiam, minimè obſcurum, quo libris biblicis arrogat in Phyſice

Pro philoſophicis ſtudiis.

magisterium, omnium judicio desipit. Itaque, licet illis omnigenae sapientiae oraculis, Platoni, atque Aristoteli, summus honoris gradus haberi debeat, quibus facem ferentibus, tam longè majoribus intervallis, per immensa naturae spatia, viam prolatavimus, nulla ipsorum injuria fiet, siquidem experimentis, novisque recentium philosophorum conatibus adhaereamus, & nupera inventa, & detecta veteribus praeferamus. Sint ergo prae manibus, Lockius, Malebranchius, Cartesius, Gassendus, Newtonus, aliique hujus ponderis, & momenti plures, qui proximè floruerunt. Eos scrutare penitus. Eos intima contemplatione recoquere minimè pigeat, etsi nonnulli mortalium inperitissimi oggranniant, inque ea sint haeresi, sanctitates nimirùm omnes, etiam ex halitu recentiorum, contaminari. Hisce hominibus helleborum opus est, aut minimùm restis. Quod si velis vestigia persequi eruditorum, ducemque habere navum, & nitore rerum, scribendique elegantia castigatissimum, aut Purcotium adhibe, aut quem ego, Pontificum sapientissimo Benedicto XIV. probatum maximè ceteris antepono, licet in metaphysicis praeparcior fuerit, Eduardum Corsinum, qui de tota philosophia commentarios, academico more exaratos, summo omnium plausu vulgavit, in subsidium habeas laboris tui. Is omnium aut fere omnium philosophorum placita, eorumque momenta graviora, pensiculo librat minimè in alterutram partem propenso, ut cuique

cuique ſit integrum, quod libuerit, magiſque arriſerit, amplexari. Quod ego ſemper philoſophicae libertatis caput, ad verum, quam propè poſſumus adſequendum, non oportere ſolum, at etiam opus eſſe duxi.

Quod in theologicis ſecus. Prima enim veritas eſt individua, neque in opinione verſatur. Ad hanc unam conſectandam ſcientia divinitatis adſpirat, quam alibi quaerere, quam in ſacris bibliorum oraculis, non privato, ſed publico Conciliorum, & Patrum ſenſu explanatis, utique non eſt liberum. Quem igitur in hujuſmodi diſciplina, quae tanta amplitudine, & dignitate ceteris antecellit, ducem aut ſollertiorem, aut perſpicaciorem habere poſſumus Thoma Aquinate, cum quo ſol ipſe Sapientiae ſummus, princeps, & cauſa luminum reliquorum, tantam ſuae lucis copiam communicavit, ut quidam quaſi Angelus theologicae facultatis habeatur. *Pro Theologicis.*

Hic ergo ſignifer, & magiſter aciem ducat ceterorum, quotquot ad hanc doctrinae rationem expedire duxeris. Sed apage immenſam, ut moris eſt bibliothecam. *Onerat*, ait Seneca, *diſcentem turba, non inſtruit; multoque ſatius eſt paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos.* Non librorum numero, ſed delectu, res agitur. Quare meo quidem ſuaſu praeter Melchiorem Canum atque Eſtium, & qui praeterea doctiſſimis monumentis inclaruerunt, Thomaſſinum, Natalem Alexandrum, Alphonſum à Caſtro, *Lib. de tranquil. Animi.*

 Bellar-

Bellarminum, Sirmondum, Petavium, qui de re tota theologica tam nervosè ſcripſerunt, alii plerique omnes, quos ego tamen plurimi facio, aut vitalem halitum intercipient, voluminum lectitandorum congerie, aut mentem, atque oculos, ipſumque captum obſepient dumetis inplicatiſſimis, quae, niſi te Deus aliquis extricaverit, evadere nunquam poſſis. Utinam Aquinati operam daremus uni, interpretibus, explanationibus, totque notarum gloſſematis repudiatis, queis omnibus infuſcatur verius, quàm illuceſcit, mehercle puriorem illius auream ſapientiae venam in nos ipſos deduceremus, quin metus animo impenderet, aut fallendi veſtigia, aut caſu aliquo periclitandi. Verùm aliter conſuetudo docendarum diſciplinarum invaluit. Quamobrem ad curſum certis itineribus ineundum, Honoratum Turnelyum adhibe viae comitem, quàm qui maximè, gnarum. Ea quippe vir magnus procedit methodo, ut non veriſimilia, ſed vera, quod Theologum decet, adſequi connitatur. Id autem tam ordinatim, tamque eximia perſpicuitate facit, ut huic parem, aut ſcribendi ratione, aut robore argumentorum, aut ſacrarum ſcripturarum captu, legerim neminem. Ubique nitor, ubique veritas ex ipſo Bibliorum fonte exantlata, cui deinde doctiores Eccleſiae Patres, totiuſque Chriſtiani Orbis conventus, & Sacerdotia unanimiter adſtipulantur. At quia iſthic locorum agis, ubi limites plurimarum, aliena à nobis perſvaſione, ſectarum

genera

genera circumſepiunt, illud video penitus expedire, ut potius ad dogmatum explanationem, quàm aliò divertere tota haec ratio docendi debeat. Nimirum poſt Petavianas excurſas, aliaſque ſupra commemoratas doctorum hominum vigilias, Petri Ludovici Daneſii ex Lovanienſi Academia Theologi praeclariſſimi opuſculum de Fide, Spe, & Caritate adornatum in medium efferas, promptuarium ſcilicet paratiſſimum, unde, vel tutari tuam mavis vel hoſtium cauſam impetere, arma omnia, opeſque, & ſubſidia expromuntur. Tandem, ut rerum tuarum ſatagas, quam potes accuratiſſimè ramorum funditus, & coliculorum luxuries, hoc eſt ſophiſticarum quaeſtionum reduviae, tricaeque inutiles in qualibet diſciplina amputentur. Duo illa hinc conſequentur bona. Viros efficies, doctrinae viribus, & medulla pollentes, id eſt ſtatarios Theologos, non adſcriptitios, qui, ut ſceptici ſolent in utrumlibet diſceptantes, quantum erranti populo perſuaderi poteſt, clamoribus, & contortis ratiunculis, experiuntur. Deinde breve, atque expeditum ad optimas diſciplinas compendium erit, & decuplo minor ad proficiendum labor ingenia conteret, ſi recta ad literarum ſtudia perrexerint, quin diverticulis retardentur. Nam animus in plura diſperſus exhalat vim ſuam, & herbeſcentem facilè viriditatem deperdit. *Pro dogmaticis.*

Pro coronide, non eſt hoc loco praetereundum, num ad hanc rerum ſcientiam tam uberem, tamque multiplicem adipiſcendam, vertere natale

ſolum

De exteris peregrinationibus studiorum caussa susceptis.

solum, laresque patrios interfit, ut ii faciunt, qui & Sardonychas, & Smaragdos, & gemmas cujusque modi ut devehant, ad Garamantas & Indos, contempto vitae periculo, metuque navigant, lucri caussa. Res est, Exeteftice, in opinione posita, & problemati quàm simillima. Hoc fuit olim operae pretium, sciunt omnes, cum nidum literae, sedemque certam, & fixam haberent. Itaque & Graeci in Italiam ad Pythagoreos, ad Aegyptios, atque Phaenicios, Romani ad Graecos, ut inde omnium artium copias, atque opes colligerent, commigrabant. Ea quippe erat illorum temporum conditio misera, quod typorum inopia laboraret, quare ubi praeclara inventa oriebantur, ibidem etiam consenescebant, quin ad exteros deferrentur. Nunc verò cum literae, & literatorum lucubrationes ad nos ipsae peregrinentur, & nobiscum vivant, aut ego desipio, aut certè non video, quamobrem nos oporteat, tam longis, magnisque intervallis ad illas peregrinari. Id faciant, si diis placet, Gumiae, Ludiones, Mimi, Circulatores, aut qui mollius capillum fingere, & clunes ad tibiarum numeros agitare, aut defuso vino ex aenophoro, Gallicum exhalare, & Hungaricum amant. Non eadem est ratio disciplinarum, quae ubique suis, sese, amatoribus offerunt amplexandas. Quod si qui penitioribus aulae muneribus, rebusque publicis erudiri volunt, summo loco natis admittam, populorum commercia, & consuetudines laudabiliores animo ut imbibant,

tam

tam longè dissitas, & permolestas peregrinationes esse ineundas, ex quibus tamen utinam meliores semper reverterentur, nego id etiam Deo sacris hominibus convenire, qui neque studio armorum vacant, nec inutili periergia laborare, nec choragos, aut Lanistas debent, duces habere disciplinarum, sed praecipuos ex omni natione viros, quorum merces, & opes, ubique locorum, & gentium circumferuntur. Verùm itineraria virorum illustrium aliud probant. Montfoconii scilicet, aliorumque Ecclesiae Procerum maximorum, qui longas vias, studiorum caussa, & periculosas navigationes susceperunt. Nimirùm ut operibus suis multis & magnis consulerent, curasque ultimas adhiberent, Archiua omnia, & bibliothecas locupletiores, ubicumque essent gentium, viri graues, & virtutis maturitate praestantes naviter excusserunt. Rectè quidem, & laudabiliter. Idenim si caussae foret, in utrumque oculum placidè conquiescerem, nostrisque hominibus conniverem utique perlibenter. At ista cum desit ratio, & horum hominum studium una religio sit, cui morum, & dogmatum scientia ancillatur, non tantum corpori debent, sed etiam moribus salubrem locum eligere, atque irritamenta vitiorum profugere quàm longissimè. Canopum nemo, ait Seneca, aut Bajas, Sapiens concederet, si de secessu haud temere cogitaret, *quamvis neminem Canopus esse frugi vetet.* Bajae verò diversorium vitiorum esse tum coeperant. Illic sibi luxuria Epist. 51.

 pluri-

plurimùm permittebat, quasi licentia major, loci blandimentis, & amoenitatibus deberetur. Itaque Ecclesiae officiis, & muneribus designati, vel ad arcem & propugnaculum Religionis proficiscantur, ut Academiarum subsellia celebrent, seseque informandos eruditioribus tradant, vel domi tandem placidi sedeant, & subducta ratione, quantum pecuniae, & temporis, in vias temerè impenderent, in selectiores libros coëmendos, & diligenter versandos impendant; mihi crede, si vere docti esse voluerint, & omnigena eruditione praestare, quin tot incomodis, & excursionibus conterantur, possunt.

Sed jam perorandum, ne fortasse satietas oscitantiam pariat, nam quae morum scientiam, & jus Ecclesiae publicum attinent, ad alias curas, & tempora rejicientur. Macte igitur animis, Exetestice, & Tibi, cum mite ingenium natura, miniméque pertinax, & refractarium tribuerit, ut sua sibi habeant, Thrasones isti mirabiles, praejudicia sinas, qui, quam triverunt semitam, aliis etiam, ut omnium expeditissimam, & consularem, veluti majorum gentium dii, commonstrare gloriantur. Horum vita in eo tota est, ut novis in dies, & inexcogitatis docendi rationibus torqueatur, & perinde quasi Literarum Resp. ex omnium gentium doctioribus minimè coalesceret, modò ad Anglos, & Batavos, modo ad Gallos, & Italos, pro studiorum emendatione confugiunt, interea dum ipsi conchas in litore, & cochleas colligendo, ex arena funi-

na funiculum ineptiſſimum texunt.

Itaque haec ratio dicendi tota duabus omnino partibus continetur. Altera eos, qui Criticae artis ſtudium, aut facile, aut negligendum putant, monet, atque hortatur. Altera curatores Studiorum, non docet ea quidem, quis enim ſibi tantùm ſumat? ſed conſulit, ut quam viam ingredi doctrinarum, ſciendi cupidi, quove ordine, quo conſilio, quibuſque ducibus debeant, pro ſua ipſi Sapientia, & cognitione decernant. Ceterum ſua quiſque amat, aliena teruncii facit. Ego verò cum eruditorum conſenſus, ſit quaedam quaſi ſapientiae vox, & oraculum, malim potiùs cum tot illuſtribus viris errare, quam cum ceteris de trivio ſapere. Ii quippe erratici ſemper, & varii in opinione verſantur. Illi verò unam eſſe Criticen ſentiunt magiſtram diſciplinarum. Ea dumtaxat, quae anteire debeant, quae, ſubſequi doctrinae adjumenta, quibuſque curis munienda ſit via ad abſolutiſſimam rerum ſcientiam comparandam, luculenter demonſtrat. Ea demum Libros emaculat, caſtigatque jure quodam ſuo, &, ſi falſa, aut barbara, aut aliena obtruduntur, expungit. Quamobrem ſi quis hoc penus omnigenae eruditionis, ex iis fontibus inſtruat, quos abunde aperuimus, ipſe ſui primùm cenſor intelliget, quàm longè à recta ſtudiorum ratione aberraverit, deinde verò hoc ſi teneat, facilè in alios bonarum artium caſtigationem, elegantiam, nervoſitatem, ſuccum, denique, & ſanguinem propagabit. = =

Peroratio & Conclusio.

(o)

DE VITALI PRINCIPIO
Quod eſt in Brutis.
AD EXETESTICUM VARMIUM EPISTOLA PHILOSOPHICA.

ETſi ſemper admodum, nunc verò maximè, poſtremis hiſce litteris Tuis, EXETESTICE, ſum delectatus, non ea certè de cauſa, quód de mei judicii ratione tã liberaliter opinaris, ut illud in re implicatiſſima & plena maximis difficultatibus caeteris anteponas, quod ego quidem mihi non arrogo, TE autem in hoc errare facilé patior; verùm quia, cùm Tuae ipſe laudi, Tuaeque, in perveſtiganda penitus veritate, ſollertiae, vehementer ſtudeam, illuſtri aliquo ſigno, ut id intelligeres, maximopere peroptabam. Ex voto res accidit, quo ego nomine mihi gratulor mirum in modum ſummèque plaudo. Eorum quippe animum probat occaſio parta, qui ad frugi hominis honeſtatem aſpirant, ſpeciemque ambiunt virtutis ad omnem comitatem, facilitatemque procli-

Exeteſticus ideſt Indagator veritatis.

A vis;

vis;quae quidem virtus non ex verborum laciniis, & elegantia, ut moris eſt aulicorum, ſed ex ipſis rectefactis, & ſedulà,poſtulantibus conſulendi alacritate, deprehenditur. Quare quòd tu te in me certam ſpem collocaveris, gratias ago maximas. Quòd autem mihi rem propoſueris ad ſcribendum, jam pridem à multis & ſummis viris evigilatam, nunquam verò exhauſtam, & bene perpenſam, videris mihi offendiculum ponere,quo miſerè in curſu cadam, quòd ſi velim evadere, luctandum mihi ſit temerè, omnesque animi vires periclitandae:monet autem Vates, ne plus ſcilicet oneris habeamus, quàm quod humeris ſuſtineri poſſit:

Sumite materiam, veſtris, qui ſcribitis,aequam
De Arte Poëtica. *Viribus.*

Atqui tamen dubitare minimè debes, quód, ſi quid valeo, totum illud, quidquid fuerit, prolixè TIBI non deferam. Quid verò poſſim, neſcio, in re tam ancipiti, qualis ea eſt, de qua quaeris. Vis enim ſcire, quid ego de brutorum anima, eorumque vivendi, atque agendi principio ſtatuam. In qua quidem argumenti perplexitate, ita me Deus amet, ſi quid praeſtare,aut probabiliter afferre poſſim, video. Quod mihi praeterea ſumam, ut vel meum judicium tot ſapientiſſimis viris anteferam,

qui

qui hanc Camarinam, jam inde ab aevo politioris litteraturae moverunt, vel novi aliquid, hactenus inauditum, in medio ponam, apage ſuſpicionem. Jure me Anticyram navigare ſapiens quisquis compelleret. Quid ergo conſilij capiam? Fatebor ingenuè. Aſſequi enim, quod optimum & perfectiſſimum eſt, non cuivis ferè contingit. Eſt mihi exemplum epiſtolae de tota hac re, Viri magni, cúm famâ omnigenae eruditionis, tum eminentiâ ampliſſimæ dignitatis, ſpectatiſſimi. Hoc *anecdoton* Italicé elaboratum, Latio donari non improbabis. Inibi Auctor clariſſimus ita in ſtadio verſatur, ut à modicis minimisque, ad majora prorepat, ſenſusque inprimis & cognitionis veſtigia, quæ ex brutorum affectibus & agendi ſollertiâ patent, certâ conjecturâ adſequatur, deinde verò paulatim ad interiora percurrat. Non evolat ſtatim, ſed agit cautè, &, quemadmodum adagio fertur, inter fumum & undam. Habes igitur, VARMIE, quâ ratione ſcribendi, Vir tantus uti maluerit, conſultâ operâ, ſine fuco ſcilicet & oſtentatione doctrinæ. En TIBI nunc litterarum verſionem, animi ipſius & opinionis interpretem, autographo, quantum licuit, ſcripto perſimilem, fideliter concinnatam. Is eſt exorſus epiſtolae ad Amicum datae:

Scribis itaque, in ſcholis dum ageres, adhuc junior, audiſſe TE ſaepiùs de brutorum animâ differentes Magiſtros graves, ſed barbâ tenus & pallio Philoſophos, quorum nomen omnium auribus celebrabatur. Hoſce audacter, & liberè quoddam animi genus ita auditoribus ſuis venditare, ut illud & agendi principium in animantibus foret, idemque è materiâ ipsâ, quâ corpora coaleſcunt, excuſum; materiatum illud quidem, ſed à materia diſcretum, velut ex tripode pronunciarent. Id TIBI verò, non ſolùm, quia multis admodum & implicatiſſimis difficultatibus ſcatere, ſed etiam quia phantaſticum definitionis commentum in ſummâ inanitate verborum verſari videbatur, probari nunquam potuiſſe propterea dicis. Ad me igitur provocas, rogasque humaniter, ut ego interloquar, meumque calculum alterutri partium adjiciam. Quod ut faciam, illud praemonendum exiſtimo. Totam ſcilicet Ariſtoteleorum nationem, in eam abijſſe, quam memoras, opinionem. Ea omni aetate, quamdiu Lycei regnum obtinuit, inter Philoſophos celebriores invaluit. Quod etſi minus ipſi expiſcantur, atque explicando magis involvunt, tricisque impediunt, quod explicant, malunt potius, quàm ut caſtigato conſilio ſapiant, eamdem incudem tundere pertinaciùs, mercede aucto-

auctorati, neſcio quâ, miſerae ſervitutis, ut ne ad voluntatem loquantur, nec liberè ad aliena caſtra deficiant. Sed iſtuc ipſi viderint. Verùm tamen, ſi quis ſedulò brutorum actus, eorumque affectus, & ſtudia populari etiam trutinâ examinaverit,næ, niſi inſaniat, ea ſubinde cognitione quâdam, rerumque captu, rudi eo quidem, & inchoato, ipſorum quatenus vel natura, vel indoles,vel vitae ratio poſtulat, praedita eſſe deprehendet. Adverte, quaeſo,paulisper animo, quantum ea ſibi, ne capiantur inſidijs, caveant, quàm ſe circumſpiciant callidè, quàm ſollerter effugia quaerant, ne in periculum adducantur. Id hercle videris ſaepe,ſi aucupio vacas; aves ſcilicet, quibus obtigit ſemel ex venatorum decipulis evolare, quanto deinde aſtu, ne iterum irretiantur, ſatagant. Non areae illecebra, non arbuſculorum amœnitas, non avicularum moduli, non aucupis ſibilus ad fraudem pellicit. Ubi illae doloſum nemus & viridicatas avium circumquaque accinentium caveas adverterint, quibus olim illectae, miſerè in laqueos inciderunt, avolant trepidae inſidiarum memores,ſe ſeque praecipites aliò vertunt,& quàm longiſſimé aviis itineribus divagantur. Id ipſum me, venatum cùm agerem, neque dum bonam aetatem egreſſus, lata illi Romani agri obliquitas fere im-

mença

mensa experimento saepius, usuque docuit. Planities clivis uti est patentissima, ea quidem & vallibus interjecta, sed longè latèque ad maris usque limites proterminata, alaudarum crebritas multa, campestribus ibi turmatim insidet. Ad eas aucupandas fraus est venatoribus ejusmodi, artificio verè mirabilis. Scrobe effossâ scutulum parant vitreis orbibus, tessellisque affabrè instructum, quod, ubi locum alaudarum incursibus opportunum pervestigaverint, paxillo inserunt, sole adverso, insertumque filo intorto circumagunt. Hinc refractâ luce specula intermicantia, nescio, qua vi, aut naturae illecebrâ fucum avibus circumvolantibus faciunt. Haerent miserae quasi præstigiis quibusdam aut incantationibus captae, quassuque alarum inhibito, admirantur pendulae, sibique in speculis plaudunt, interea dum loci, venatoribus ex insidiis commodè jaculantibus, fit clades ipsarum magna. Id autem advenis & peregrinis, non ijs etiam accidit, si quae in ijsdem campestribus hiemaverint. Eae quippe jam fraudum exacto, ut ita dicam, tirocinio, ô quantum aedepol! rem suam sapiunt! Coruscaverit licèt, radiaverit, fulserit quaquaversum speculorum nitor, res frustra erit, & laborem feres. Quod eò dictum volo, ut quanta sit animularum, queis aviculæ vivunt, intelligentia, pernoscas. At

At si illarũ cubilia& nidos inspexeris,ingeniũ,hercle,& sollertiã mirabere singularẽ. Arcendae tẽporum injuriae, ut provideant, quàm studiosè quàm naviter crustâ integunt foris, dum plumis intus, & paleis,molliculum stratum suis fœtibus parant. Illud autem omnino magnum, quod de apum & formicarum naturâ quotidie cernimus. Eas scilicet alvearia, semper hexagona, expilatis ubique plantarum lacrimis florumque succis, omnium frugum seminibus cumulare, quò hiemem famelicosam, ubi pabulum, arescentibus campis, penè intercluditur, tolerare commodè possint.

Si verò sint ejus generis animantia, quae rapto vivunt, ut feles, & vulpes & vultures & aranearum species multigena, incredibile dictu est, quã sint calliditate ad praedandum, astuque strenua. Inter araneas stirps quaedam est admodum frequens, mirèque industria, non ea quidem, quae in foribus casses muscarum aucupio texit, de quibus affatim Plinius, sed alia pedibus brevior, alvo prægrandi,& binis forficulis instructa, quae in januis plurimùm & fenestrarum foriculis agitat. Haec ubi muscas conspicatur, quibus avidè inhiat, repit ita leniter & cunctanter, ut invisibili motu vix progredi videatur. Callipedes, qui diutino cursu cubitum vix processit, spatiũ praecurreret. Appa-

paret identidem, ut ſemitam ſibi ſapiat, quà praedatum eundum eſt; deinde iterum latitat, illudque maximè intendit, ut animalcula à tergo, ne inſidiae pateant, adoriatur. Hoc genus aranearum, venatorum gnariſſimi, ſi aut aeqvant arte, aut praecellunt induſtriâ, diſperam. Benè Polonis, alijsque Noricis eſſet, ſi vis magna iſtarum aranearum in ipſorum regionibus graſſaretur, muſcas illas ſuas antropophagas, pagis & urbibus exterminarent, quae non ad cupedia convolant, ſed hominem petunt.

Quid autem de felibus dicam? quàm levibus veſtigijs, quàm multo ſpeculatu muribus inſidiantur? Illud verò maximè ſingulare, quòd non repente, non temerè, non cœcâ cupiditate acti, ubi muruli in conſpectum veniunt, moras praecipitant; Diſſimulant conniventes primùm. Spatio, deinde ad irruendum dato, & quaſi dimenſo, raptim inſiliunt, praedamque leviter immurmurantes victoriâ partâ, diſcerpunt. De vulpibus non attinet loqui, ea cúm ſit illarum calliditas, ut ad hominem vafrum, quo nil ſit fraudulentius, graphicè deſcribendum, illud Perſius eleganter expreſſerit:

Sat: V. *Aſtutam vapido ſervat ſub pectore vulpem.*

Vultures potius, & milvios paululum meditare.

Quo

Quo conſilio, quo ductu, aves incurvis ungvibus adſequantur! Sublimes evolant, gyrisque ingentibus rotantur, crebros deinde orbes & ambitus, remigio alarum molliter perlibrato, conficiunt, donicum lineâ laterum aequalitate à ſummo ad imum ductâ, qualem Archimedes ipſe, ſi eam ad normam & perpendiculum exigeret, aequilateram demonſtraret, rapidiſſimè alitibus imminent, & praedantur. Quantum, medius fidius! in âere, qui volucribus permeatur, ab hiſce depopulatoribus agatur cladis, utique omnes nôrunt, ſed quàm miro ingenio, quàmque aptâ ad rapinas dexteritate, aut nemo hactenus, aut unus tantùm Gallorum in primis elegans & perpolitus Auguſtus Thuanus attigit. Is carmen pepigit Henrico Regi inſcriptum, de re accipitraria, ita lautitiis omnibus abſolutum, & pöeticae artis luminibus comptum, ut Gratiae, Muſaeque, ipſius ore loqui & canere potuiſſe videantur. Illum ſi adeas, utique non pigebit; enimvero

Accipitrum genus haud unum eſt,

inquit Thuanus, - - Nam

nomine nos heic
Accipitrum, ſpecies avium complectimur omneis.

Itaque & Falconum, & Buteonum, & Triorcha-

rum, & Niſorum,& Aſturum,& Fringillarum, nomina ſunt accipitrum varia, quibus etiam varia rapacitatis indoles & natura reſpondet; quàm cauta, quàm ſubdola,quàm ingeniosa inſidiarum molimina, in his praedonibus demirabere, quas certè minimè callent, diſperſis per opportuna loca ſtationibus, qui vicos obſident, graſſatores.

Quanquam aliò nos avocant, quae plùs habent ponderis & conjecturae, momenta. Non enim affectibus, quibus animi interturbantur, bruta animalia carent. Laetantur interdum, invident, iraſcuntur, amant. Id ipſum eorum voces, prout variæ ſunt affectiones, variè itidem produnt. Differunt equorum hinnitus, ſiquidem illi; vel equam, vel hoſtem, viderunt. Differunt avium cantus, & voces, cùm inter ſe de victu & praeda contendunt, aut cùm mutari tempeſtatem praeſentiunt, vel ut ait Pöéta, ubi aquam dicuntur & imbres

Poſcere, & interdum ventos, aurasque vocare. Virg. Georg.

Quod ſi in ceteris extat, in apibus planè ſine ulla dubitatione deprehenditur. Eas videlicet, aliter voces & ſonos edere, cùm eunt cubitum, aliter cùm pabulatum, neque idem ſtrepere, cùm ex alvearibus ad pugnam prodeunt, & cùm regem frequentiſſimae circumſiſtunt. Itaque vox à natura

cùm

cùm sit cunctis animantibus attributa, ut animorum *pathon*, pro ejusdem diversâ ratione, promant, ejus scilicet, ut adjumento ab aliis opem implorent, hostem persequantur, sese ad iram excitent, ad lenitatem inflectant, catulos in unum cogant, coactos contineant; certissimâ assequi conjecturâ possumus, iis ipsis animi motibus, eadem concitari, quibus rationalia quaeque afficiuntur.

Inter animi pestes, unde calamitates magnae & infortunia prope infinita gignuntur, ea est aegritudo gravis, quam ego potiùs cupiditatem & libidinem dicere, quàm amorem malim. Ea certè rationis oblivio est, & insania quaedam impotens, quâ nisi homines aliquando procaciùs furerent, in Ethicae Christianae castris minimùm laborarent. Hâc itaque insaniâ, hoc eodem aestu cupiditatis, & bruta rapiuntur, eâ tenus, ut apertas inimicitias suscipiant, & unà stabulare ne quidem possint, quin etiam duellis se provocare, praeliari, exulare cogantur. Ita verò procantium taurorum pugnam describit Virgilius, ut non eam loqui, sed pingere videatur:

Pascitur in magna silva, formosa juvenca,
Illi alternantes, multa vi, praelia miscent

Vulneribus crebris; lavit ater corpora ſangvis,
Verſaque in obnixos urgentur cornua, vaſto
Cum gemitu ; reboant ſilvaeque & magnus Olympus
Nec mox bellantes unà ſtabulare, ſed alter
Victus abit, longèque ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam.

Unde autem haec rabies, & rivalitas tam acerba? Inde oppidò; quòd aegritudine illâ animi anxietatis & angoris plenâ, quâ amatores liquent, animalia quoque infuſcantur.

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres
In furias, ignemque ruunt, amor omnibus idem.

Videſis hypotypoſin omnium pulcherrimam & elegantiſſimam Lib. III. Georgicorum. Catulos praeterea invidos, & zelotypos, ſuesque liguritores, aemulos equos, curſuque alacres,

cùm bellicus ore cruento
Ibid. *Signa dedit tubicen,*

nemo unus neſcit. Haec itaque palàm, quae accidunt, ſuntque in oculis omnium, ita ſanè, ut ex argillâ & luto mulierculae, ſi quid hominis haberet, philoſophari liceret, nonne clamitant animalia, quaeque iiſdem omnino cupiditatibus atque affectionibus agi, quibus homines appetuntur?

Cognoſce nunc cetera. Nos bruta dicimus, manſa digerere, reſpirare, vitamque trahere, ut homines faciunt. Cur iſtuc quaeſo? quia quibus hominum corpora texta ſunt, iis ipſis ductibus, & inſtrumentis eorum corpora conſtruuntur. Oeſophagum, arterias, viſcera, aliaque hujusmodi, pro concoctione, pro ſuccis & humoribus receptacula, queis aluntur, creſcunt, vegetant, intuemur. Bruta etiam videre, audire, guſtare, tangere, adſeveramus: Eâ certè de causâ, quód acie oculorum, aurium forulis, cutis nervulis, & palati papulis valent. Atqui etiam cerebro, ut rationalia, donantur. Ad quid ergo cerebrum brutis datum? Fare, ediſſere, quid tecum reputas? Equidem ita ſentio, animalia quaeque, ad ſuae vitae rationem, conſentaneas quarumlibet rerum formas, ſenſibus compararare. Propterea cerebrum hiſce animantibus datum, eoque praeditum tenuiſſimo fibrarum textu, nexuque, arbitror, ut ipſi penitus objectorum imagines inſculpantur. Hoc ergo commune cum rationalibus bruta habent. Quid etiam vetat exemplaria rerum, juxta in homine, atque in brutis, ut ſenſa comprehendant, aſſerere? quae malum! dementia eſt, cúm cerebrum, arcem ſenſus, tam affabrè, tam mirabiliter, ſcitèque extructum, vel in brutis inſpicimus, ea illud poſtmodum

dum

dum obire munia, quae ipsi naturâ competunt, pernegare? Sed haec hactenus. Etenim vereor, ut ne longiús abierim, quàm par fuerit, aut necesse, in re perspectissimâ. Agamus cominus, & experiamur momenta causae graviora, eaque ab interioribus fontibus repetamus. Equidem non ignoro in hoc genere disputationis, scholarum phasmata. Brutorum animas, statuunt, materiâ quidem, sed sensili, non autem cogitante, quod absonum vociferantur, constare. Quid enim hominem inter & brutum discriminis, modò utrilibet cogitandi principium tribueretur? Liberas itidem atque aeviternas utriusque animas esse, subinde consequi. Quid autem postea, corporibus exanimatis? quorsum brutorum animae? Aeremne pervolitent vagae, ut novum ineant corpus, ibique hospitentur? vel locum certum petant, ubi praemio poenâve, utut meruerint, afficiantur? Absona haec quidem, absurda & præpostera. Itaque captus in brutis, & animi cogitatus utcunque rudis, & mancus ad fabulas ablegandus.

At quaeso. Sicubi canis obsonium aliquod ligurierit, eaque propter acerbè fustibus vapulaverit, num audeat heluo cupitis dapibus inhiare, quod olim causae fuit, quamobrem tam acriter tunderetur? Minimè gentium. Atqui in conspectu

sunt

ſunt dapes. Omnino: At ſibi â fuſtibus timet. Nunc ſciſcitor, quô poſſit modô ita eſſe, quin comparatè de fuſtibus canis & dape cogitet? quin bonum utrinque, malumque conferat? quin ſecum ſtatuat deliberaté, ſibi potiús â dapibus abſtinendum, quàm fuſtibus periclitandum? Niſi id, cogitare eſt, inter utrumque diſcernere, quid magis competat, amens ſim.

Verumtamen haec miſſa faciam. Sunt enim plurima hujusmodi mirabilia, de quibus planè Rorarius diſſeruit ſatis. In tuâ ipſius arenâ pugnare nunc attinet. Sit ergo, ut putas, ſine captu brutorum animus, ſit cognitionis omnino expers, merâque objectorum perceptione pollens, quae ſenſibus continetur. Putasne ideo materiatum brutorum animum eviciſſe? adſis aequo, ſi placet, pauliſper animo. Materiam philoſophi, ut ne Oedipo conjectore ſit opus, eam ſubſtantiam intelligunt, quae ex multis variisque particulis congregata, ſuae prorſus naturae ratione, diviſibilem motum habere poteſt, eaque propter aptiſſima, quae certae alicuius figurae definitione, atque ambitu concludatur. Spiritus autem ſecus. Is enim maximè ſimplex, & nulla concretione compoſitus, nec partium congeriem, neque adeo diviſionem aliquam, aut figurae complexum patitur.

Ma-

Materia igitur cùm motu nullo, nulloque impetu ferri possit, & vi solúm externâ impellatur, tamen multimodis, ex solutione heterogeniorum corpoporum, mutationibus patet, quò fit, ut variantibus figurarum compositis, multiformes appareant rerum facies. Et si tamen centies & centies materia haec destruatur, & modificata aliter atque aliter nuperis formis suffectis, in medium redeat, quemadmodum, ut eam cogitantem possimus ad sequi, nequit omnino fieri; ita etiã fieri nequit, ut gaudiũ, mœrorẽque, aliasque id generis affectiones, quae à sensibus enascuntur, brutae materiae atque hebeti tribuamus. Experiare materiam, quamcunque mavis. Eam tritu comminuas in partes minutulas, minimasque, eatenus, ut frustula vix appareant. Eandem iterum tunde, & si placet, millies etiam destruas incidasque. Quid deinceps? Numquid materia hujusmodi viderit, gustaverit, interque album & atrum, amarulentum & dulce internoverit? Herclè nec dormiens tantopere delirabis. Quâ istuc ratione? quia materia scilicet, cúm substantia sit patiens & figurae subjectum, aequè ut sentiat, atque ut cogitet, substantiâ omnino indiget actuosâ, quae vim habeat ingenitam efficiendi sua virtute, quod efficit; sunt enim

ἀνα-

analoga, in animantibus sensus & cogitatio, ut unum sine altero esse non possit.

Quod si ex materia brutorum animus foret, certè partibus divisibilibus componeretur, quare sentiendi actus, non unus esset, atque individuus, sed multiplex, in tot scilicet divisibilis partes innumeras, quot animae materiatae figura constaret. Sic pilae, cúm tunditur, motum, ad modum unius concipimus, cùm tamen minimae motûs partes totidem omnino sint, quot pilae partibus vel tenuissimis consonant.

Atquì, quae partibus constant, figurâ, formâque aliquâ definiuntur; sunt enim extensa, cedo igitur, quâ figurâ brutorum animae circumscribantur, cubicâné, vel rectangulâ, vel triangulari, aliâque & alterâ ex tot innumeris, queis natura dissentit? Papae, subrides? At haec omnino ex materiatae animae conditione portenta; modò rectè scitèque de materiâ opinemur. Etenim, si velimus vapidam materiae larvam obtrudere, quae neque extenditur, nec quanta est, nec qualis, ut quidam somniant, id est, omnino ineptire & chimaeras loqui. Renatus Cartesius, vir ut nôsti, in Geometricis & Philosophicis disciplinis, anteactâ aetate, chorum ducens, quàm qui maximè, famigeratum, adeò premi se intercludique his objectis

difficultatibus ſenſit, ut quoquoverſum ſe verteret, animis haerens, excuſſit tandem ſollertiam ingenii ſuam, & nodum Gordium, ubi ſenſum a cogitatu, modò vellet ſcitè philoſophari, praecidere minimè poſſet, diſſecuit, brutisque abeſſe & ſenſum & cogitatum liberè pronunciavit; eorum verò operationes, motusque ſtatuit ad ſolam partium texturam, inſtar automatum, pertinere.

Ut primùm inopinatò, ratio haec nova philoſophandi ſcholas pervaſit, triumphus Carteſio decretus eſt, quòd ille demum Chriſtianae perſvaſioni ſuppetias veniſſet, & animae rationalis incorpoream naturam atque immortalem in tuto poſitam, ab Atheorum conatibus vindicâſſet. Erat quippe huic impiorum gregi omnimodè perſvaſum, nec ſpecie quidem, niſi quatenus plùs minùsve perfectione captûs excellerent, â rationalibus bruta differre. Et cùm ſimilia hominum, animantia, paſſim agendo ſollertiùs, quae ad vitae rationem pertinent, videantur, pari itidem eodemque vivendi principio conſtare.

Verùm haec, cui tantopere plauſus eſt datus, perinde atque de cœlo delapſa opinio, remiſſa protinùs, eodem, quo nata eſt, aevo, relanguit, donec invectis ſolidioribus experimentorum, legumque mechanicarum momentis, è ſcholis pe-

nitus

nitús exulavit. Et re verâ sin aliud esset, ea tamen, quae supra excerpsimus, aliaque innumera brutorum mira, quae missa fecimus, de quibus Empiricus,& Plutarchus jam fusô calamô disseruerunt, satis superque evincerent automatûm repugnantiam. Licet enim objecta eadem, eaedemque rerum imagines nervos, ut ajunt, articulos & fibrillas impellant, non eódem semper bruta collineare, eodemque motu agere,ut deberent, neque unâ pariter operatione conformes, ipsorum actus & affectiones deprehendimus. Imò verò & imaginandi facultate, & memoriâ pollent, & appetitûs & aversionis lege maximè continentur,& analogum rationis prae se ferunt, &, licet articulatè sensa non exprimant, suas habent voces laetitiae & mœroris indices. Nictant, ejulant, interminantur, procant. Quare, rejectâ illâ Eudaemonum & Cacodaemonum fabulâ, quæ de Brutorum loqvutione conjicit, vir in primis doctus, & aliis operibus bene multis, commendatissimus, quod perplacet pluribus, non improbarem. G H. Bougeant.S J.

Cùm itaque & brutorum, & hominis in agendo similitudo, & quaedam fermè uniusmodi paritas operandi, in utroque genere appareat, nullo negotio fieret, ut oblatâ causae aequabilitate, utriusque etiam generis unistirpes, ut ita dicam,

operationes, Democriti, & Epicuri dogmata consectantibus, viderentur, &, quemadmodum bruta moveri, agere, impelli, ex solâ duntaxat organorum varietate, celerique spirituũ animaliũ cursitatione possunt, quidni etiam homines queant?

Ut nè his Syrtibus illidamur, principium differat, à quo haec singula proficiscuntur, necesse est, minúsque, si Diis placet, periclitabimur, si utrumque genus brutorum, & hominum statuamus cognitione sensuqne praeditum, modo suis limitibus & longissimis intervallis utriusque vim, & facultatem contineamus, quàm si bruta animantia instar automatûm, sine sensu & cognitione fingamus.

Lyceum ergo nos transfugas è Cartesii castris exciperet. Enimvero corpoream animam, corporeae cognitionis capacem & sensilem brutis impertit. At ecce! tibi mysterium magnum, quod ejus scholae sacris initiati expiscantur, unus praeterea nemo. Anima haec sentiens est corporeae substantiae, materiae corporisque perfectio, corporea quidem & substantialis. Apage tamen corporis, & substantiae & materiae vocabulum. Id enim anima esse non potest. Non corpus itaque, sed corporea, non substantia, sed substantialis; non materia, sed materiata. Qui secus dixerit, cogitave-

taverit, explicuerit, execrationis reus esto; eique sit aquâ & igni interdictum. Mehercle Leibnitio, Viro clarissimo, si nequam illud substantiae nomen non excidisset, cùm suas monadas pro mundi elementis constituit, potuisset ille fortasse Peripateticis haud penitùs displicere. Sed, nescio, quô malô ipsius fatô accidit, ut suas monadas, substantias simplicissimas, vocitaverit. Quod dicere Peripateticis nefas.

Quid autem aliis venit in mentem, qui brutis singulis singulas esse animas voluerunt, non eas quidem corporeas, sed corpus tenuissimum credere, ut Claudio Berigardo, & Petro Gassendo, aliisque doctissimis Philosophorum? quid illum substantiae florem commenti sunt? Unde eam sangvinis flammulam permeantem & vivificam confinxerunt? Animam brutorum sensilem, non corpus, neque substantiam, sed corpoream & substantialem Lyceum praedicat Quamvis etenim huic tenuissimo substantiae flori infinitam etiam exiguitatem, subtilitatemque, si placet, tribuas, nunquam desinet esse corpus, iners propterea, durum, grave; quamobrem pervadi cùm nequeat, qui possit, aedepol! habitum suum commutare, vitalique vi, atque impetu tota corpora permeare? Enavigavit hunc scopulum Andreas Rodigerus.

Præ-

Praesensit enim labyrinthū inextricabilem,& ne circumrodentibus Peripateticis nasum conciret, audi, quid sciens prudensque egerit. Materiam distinxit à corpore, ita, ut corpus illud compositum definiret, solidum, grave, concretum, quod sensibus patet, & manibus attrectatur; materiam verò puram, meramque extensionem, quâ cum vires vivificae copulantur, asseruit. Plausissent protinus *Asceteria* peracuta ea quidem, & ingeniosa, auditis avidè abstractis Lycei phantasmatibus, à quibus opinio haec abesse propiùs videri poterat, modò puram putamque extensionem corpoream, dicere per eum licuisset. Verùm nihil minùs. Itaque de concordiâ penitus desperandum, nunquam, herclè, ut judico, Aristoteleorum natio cum ceteris redibit in gratiam. Plus aeqno discrepant, ubi activum operationis principium statuunt, ut spei nobis aliquid fiat, fore aliquando, ut amicè conveniant. Subverentur plerique, ne quid spiritalis naturae, brutis adscribant. Id sibi ducunt maximè religioni. Alii contra vident probè, manuque palpant ultroneis motibus bruta, mediisque actionibus ferri. Objecta insuper vitae suae, aut frugifera, aut noxia percipere; sine ullo animi cogitatu haec fieri posse obluctantur. Enim verò cognitio,&cogitatio brutae materiae minimè com-

competit. Quod ſi competat, Deo volente & jubente, ut vero proximum Johanni Lockio videri potuit, qualitates materiae ſubſtantiales, ſoliditatẽ ſcilicet & inertiam, peſſum ire neceſſe eſt. Hiſce enim integris, cognitionem, & ſenſum materiae adſciſcere Deus nequit, cùm nequeat Deus efficere, ut ex iis, quae ſe mutuo deſtruunt, totum aliquod conſtituatur; quemadmodum nequit infinitè parvulum minimumque bifariam dividere, aut circulum, retentâ circuli deſcriptione, in cubum quadrùmve redigere, Obedientiae autem & ſubjectionis potentia illa, quam vocant, ſartâ tectâ naturâ rerum, ubi de repugnantibus agitur, effugium eſt veteratorum, vel potiùs ludificatio.

Quid ergo me rogas, Tute ipſe deliberas? Proclive enim eſt, aliena carpere, notâque erroris inurere. Facilè eſt aggredi, & molimina ſententiarum impetere, quae aliorum meditatione exeruntur, tueri autem ſua, eaque ab adverſâ opinantium reprehenſione protegere, difficillimum. Solent quippe mortalium ingenia, dum ſibi de veri & cogniti inveſtigatione plaudunt, inania viſa ſomniantium, pro veris ſolidiſque corporibus amplexari, à quibus non ſemel, ne rectè videant, eluſcantur. Dic, ſodes, quae Tibi demùm, ex tot variantibus opinionibus, probetur magis; magisque veró, aut ſimili ſit conſentanea. Benè

Benè, ſanè; quod lubet, faciam perlibenter. Te enim fateor à me impetrare poſſe omnia. Id autem, quod ſciſcitaris, iam inde à principio ſtatueram in poſtrema rejicere, non quod ego mihi de re tam dubiâ judicium ſumam, ſed Tibi morigerandi gratiâ. Foret enim inſania, mihi crede, ſi quis audeat cogitare, ut, quae Deus naturae aenigmata procul à captu hominum repulit, queant in medio poni, & luce rationis certâ pateſcere. Mens ipſa nobis latet noſtra. Et ſi lux aliqua caligantibus praeit, quâ nos arcanum animi noſtri genus perſpicimus, ea quidem penitus non eſt noſtra. Aliunde emicat, quâ certiùs via commonſtratur. Ea facem praefert, nec ſinit in dubio eſſe, qui nos modò, qualesque futuri ſimus, Dei ſcilicet in ſacris litteris revelatio.

Itaque nè Te multis detineam, quod ego ſentio, liberè dicam; etſi ſubvereor plurimùm, aures Tibi nè exhorreant, aut verbis paulò audacioribus, & ſesquibarbaris offendantur, de quibus tamen Philoſophi non laborant. Spiritalem dico ſubſtantiam brutis ineſſe, quâ vivunt, quâ ſentiunt, quâ ſenſa percipiunt & percepta exeqvuntur; quâ cavent inſuper, & diligunt, & averſantur. Vae miſero mihi! Obſtupeſcis? Atquì ea paſſim modò de brutorum vitâ, ejusque principio praeſtat

eru-

eruditorum opinio, quorum laudem haec noſtra aetas jure omnium anteactae ſapientûm laudibus anteponit; niſi Tu etiam erras cum inſipientibus paucis, qui blaterant, jam mortalium ingenia conſenuiſſe, metasque Herculeas Philoſophis eſſe praefixas, quas praeterire nemo poſſit.

Verumtamen Tute angeris ſcrupulo, totusque artubus contremiſcis, metu ſollicitus, nè, cùm bruta à ſtupiditate redimimus, homini detrahatur. Quaſi verò notio illa, quâ ſpiritum, & ſpiritalem ſubſtantiam concipimus, ſit una duntaxat, non autem multiplex; cùm tamen noveris, & beatos ſpiritus inter ſe, & inſuper ab humanis ſpecie differre; eosque hominibus, licet mente & ratione praeditis, longô intervallô praeſtare. Habes ergo ſubſtantias ſpirituum plures, quas inficiari, ſi potes, aude. Quidni etiam, quaeſo, infra hominum & Cœlitûm mentes, rudiores ſpiritus queant & imperfectiores exiſtere, cùm natura præſertim varia & multimoda, ſimilitudini tamen perpetuò ſtudeat, eandemque viam & methodum perſequatur? Licet enim, quae ſata gignuntur, multiformiter differant, ea nihilominus uniformi ratione gigni, ſeminum fibris inſpectis,

omnibus patet, ut propterea animantium genus conjicere quisque possit, habitâ cognitionis & sensûs quasi per gradus diminutione, similiter propagari. Quare admittas, oportet, spirituum genus, non uniusmodi esse, sed multiplex. Quodsi multiplex, praeter rationalia animantia, alia esse quid prohibet, irrationalia, quorum vitale principium, intellectu, & voluntate carens, neque sit liberum, neque de abstractis & universalibus cogitet, sua tamen studeat, & singularia quaeque percipiens, quae ad vitae rationem suae pertinere praesenserit, internoscat? Profecto principium ejusmodi *àytokineton* non negabis, cujus ea est natura ingenita, ciendi sese, & plurima intelligendi & de pluribus comparaté deliberandi. Quippe rerum auctor Deus, miro quodam ordine spiritûs definivit, quod in cœlitibus certò certiùs apparet, quos magis minùsque illustravit, unde species desumitur singulorum: Apparet in homine, quem paulò minùs ab Angelis minuisse, divina eloquia testantur. Et tamen specie differant, necesse est. Id nemo negaverit, Tute ipse fatebere.

Papae! dicis, quàm multum erras, qui tam praeposterè de specificâ differentiâ judicas. Ego verò aliter statuo, qui probè sciam hoc magis & minùs naturam rerum minimè afficere, eodem

que

que ſtatu eſſe ſubſtantias, eodemque categoremate, contineri, etſi magis minùsve, perfectione naturae, vel creſcant, vel minuantur.

O hominem meticuloſum ! Egone, An Tu vehementer erras? Priùs veró quàm cominùs & directò, ſinas me ſpatiari liberius, ut rem totam paulò altiùs retexam. Erit ſubinde nobis in iisdem lineis dimicandum. Brutorum ergo primùm operationes atque hominum breviter internoſce, videbis, quatenus utrique naturae ſit tribuendum. Enimverò, quid notiones admodum paucae, & ſenſuum limitibus circumſcriptae, cum mirâ hominum & prope divinâ rerum omnium intelligentiâ, captuque ad magna quaeque, & ſublimia perſpicaciſſimo? Percurre artes ingenuas. Non ea ſolùm homo, quae ſub oculis cadunt, in hoc terrarum ambitu immenſò, tractuque percipit, ſed ſublime fertur animo, & facultate rationis cœlum ipſum petit, & liberè pervagatur. Ibi quae pernici motu rapiuntur ſidera, quae, certis erroribus, orbitas [illegible]etiuntur: quàm diu peragat curſum, quàm pridem redeat planetarum adſpectus, ita certâ ratione comperit, ut theoreticè multa, praeſcriptis omnino regulis, adſequatur; eclipſes & meteora, ſtatis temporibus, horiſque praeſciat, & futuras praemoneat, & quò debilis oculorum vi-

ſus pervadere minimè poteſt, ubi cœleſtia corpora tam rapidè circumferuntur, pervadit tamen Opticae facultatis induſtriâ, vitrisque concavis & convexis, tuborũ ductili prolatatione diſtantibus, illud mirabiliter efficit, ut oculorum acies & perſpicacitas augeatur. Hinc Jovis & Mercurii ſatellites, hinc Lunae ſcabritiem & aſperam ſuperficiem, hinc Solis maculas inaequales & fuligineas, hinc Veneris phaſes multimodas conſpicatur. Ad haec Ontologiae captus conſequitur, quae metaphyſicis contemplationibus comparatur, cujus eſt ratio tanta, tantique ponderis meditatio, ut Wolfio, Viro clariſſimo, & in paucis numerando, viſum ex eo fuerit, hominum & brutorum diſparitatem, quantumvis ſpecificam, poſſe comprehendi. Debilis quippe & mancus brutorum animus particularibus terminatur, interea dum humanis mentibus univerſalia quaelibet reteguntur. Quid poſtea, ſi hujusmodi cognitione animus pollens, qui tam ſublimia, meditatione complectitur, ad mechanicas bonasque artes detorqueat? Adverte, amabò Te, quò tandem creverit pingendi fingendique praeſtantia, quam herclè, ad miraculum floruiſſe & florere quotidie cernimus. Quid de medicis diſciplinis? quorſum Botanice? quorſum Anatome progreſſa eſt? quae

bona

bona immensa & innumera, cadaveribus sectis, inspectis fruticum herbarumque seminibus, humano generi pepererunt? Nautica deinde notio & facultas quó tandem evasit? Eò scilicet, ut bene cubiculatis navibus, maria immensa, aestuantia & longissimè dissita feliciter praetervehamur, sintque viarum, in fluctibus & procellarum vorticibus, pyxidiculae indicio, tam certa vestigia, quàm certa in praetoriis & consularibus continentis itineribus, releguntur.

At haec momenta praecipua, quae in numerum veniunt maximè dissimilium, quô demum locô habeantur, ubi mens hominis ad divina, lucem praeferente ratione, vel fide, excitatur. Nonne eâ duce opificem rerum omnium, aeternum, infinitum, immensum, certissimis theorematibus edocemur? Attributas subinde, necessariâ illatione, supremo Numini qualitates, sapientiam, bonitatem, justitiam, aliasque praeterea summae perfectionis origines, num non ipsis oculis intuemur? nonne ipsius mentem, quae per se ipsam movetur, per se ipsam ad bonum sufficit; sempiternam essentiam, omnium bonorum causam, cui solum esse naturâ competit, ex quo ea, quae sunt, incipiunt esse, meditatione comprehendimus?

Vis

Vis ergo haec naturalis nobis ingenita, quaeque suis viribus ad inveniendum, quidquid ratione indicatur, tam sollerter enititur, num, quid intersit homini a brutis, non planè explicat, quae licet nervis & feritate praevaleant, ratione tamen hominis perdomantur, clarèque sentiunt, quem Deus homini, in animantia tradidit principatum. Haec, qui habet naturae bona,& prae ceteris praerogativas agendi, cogitandique praenobiles qualitates, queatnè cum brutis animantibus coaequari, etsi incorpoream utrisque substantiam attribuamus ?

At aliud noctua sonat, ut dicitur, aliud cornix. Tute eandem recinis cantilenam. Ego laterem lavo. Magna sunt, repetis, & singularia, quibus humana, brutae naturae praestat. Equidem non repugno. Verùm ista, etsi probant excellentioris animi dignitate hominem eminere, utramque tamen naturam specie differre non probant: modò incorporeum utrique agendi principium permistè & temerè tribuatur. Evincunt veriùs hominem adeo perspicuâ cognitione, tantâqne vi animi praecellentem, pollere, ut ceteris animantibus praeferatur, non autem specie discriminari. Hoc opus, hic labor est.

Itaque ab unius voculae indicatione, tota quae-

stio

ſtiò repetitur. Quô ſignô ſcilicet,& notione,cùm ſpeciem dicimus, hujusmodi vocis dictio afficiatur. Itane? Ego verò iſtuc in primis ſtatuo, nec Tibi eſſe planè compertum, in quo ſpecificae differentiae cardo vertatur. Ab eſſentiâ, clamitas è veſtigio, ſpecies deſumitur, ut nimirum, quae eſſentiae diverſitate diſcordant, ſpecie etiam differant. Probé. Sed ſciſcitor, num rerum eſſentiae pateant, ut queat deinde ratio de earum naturâ, ſpecie atque indole pronunciare. Minimè verò. Sed enim ab effectis cauſae innoteſcunt. Ergo ex apparentibus proprietatibus ideae nobis rerum, atque exemplaria ingignuntur. Quare, quae concipiuntur eſſentiae rerum, extrorſum ab efficientiâ, cauſaeque niſu arguantur, neceſſe eſt. Ita ſanè, qui in metallis verſantur, ſi velint aurum ſcité diſcernere, ut naturae metallicae differentiam ſpecificam adſequantur, quâ viâ, quâ ratione ejusmodi differentiam olfaciunt? Profectò ex colore illo pellucido,& flaveſcente, ex duritie præſertim & flandi ipſius, fundendique facilitate; quodque aptum praeterea ſit,ut perlitâ ſuperficie, ad infinitam prope ſubtilitatem extenuetur. Iſtuc quamobrem? Iccirco, quòd haec auro attributa competere, intelligamus. Nunc quaero: ſi quod ſimile effoderetur metalli genus, in quod haec pleraque con-

convenirent, praeter unam, aut alteram qualitatem, puta, aut facilem extensionem, aut duritatem; aurumne, aut aliud aliquid ab auri specie censeres? Oppidò, si ea tibi sit praeconcepta auri notio, ut illud nempe esse ductile, & quàdam solidâ duritie praeditum debeat, repudiabis ut spuriã, quae his proprietatibus careat, metallicam qualemcunque substantiam. Aliter, aurum merum & selectissimum judicabis.

Ad caput igitur redeamus. Uterque nostrum, quale sit principium, quô bruta animantur, quaerit. Ego quidem dico, spiritum esse. Tu negas. Ut nos inter ergo conveniat, primùm nobis est de notione spiritûs statuendũ. Spiritus mihi *entelechea* definitur, quodcunque scilicet activum est, seseque perenniter perciens. Hanc ego brutis agendi vim facultatemque permitto. Sin autem ejusmodi idea spiritûs fuerit, sed diversa, ut nimirum spiritus sit substantia, mente praevalens, & quod mentis est opus praecipuum, perspicuâ ratiocinatione donata, jam sumus extra chorum, & diametro distamus. Haec ratio spiritûs à brutis abest quàm longissimè; cùm tanta sit inter homines & animantia, quanta maxima potest esse, captûs studiorumque distantia.

Itaque sint materiae expertes, & sensiles brutorum

rum animae singulorum. In hoc planè cum hominis naturâ conveniant. Cùm tamen procul adeó à cogitandi vi & facultate, quâ humanus spiritus agitur, brutorum spiritus abeat, nulla ut sanè inter utrumque agendi principium, paritas habeatur, quare specie non differant duo, inter quae tam vehementer disconvenit; etsi quamvis, in uno vel altero naturae bono, consentiant. Nonne & corpora in multis, praesertim intimae texturae partibus, consonant? Tamen differre specie animantia rectè conjicimus, quia varié extrinsecùs efformantur. Quidni etiam spiritus, quorum tam mira est in agendo & cogitando inæqualitas? praesertim verò cùm species eorum possibiles infinitas negare non audeas; nisi velis exhaustam statim ab ortu rerum & penè ad incitas redactam, sapientissimi Conditoris potentiam, sacrilegâ obtrectatione affirmare. Non inde ergo consequitur, ut quia, bruti activa substantia, principio ejusdem generis atque hominis sentiat, & cogitet, ejusdem itidem speciei spiritu moveatur; sitque duntaxat inter utrumque magis minùsque cogniti differentia, ut praejudicatae opinionis scholae calumniosè contendunt.

Verumtamen adhuc locorum dubitas, Tibique, ut ajunt, haeret aqua deliberanti. Illud ma-

ximè negocium exhibet, ineſtque animo, tanquã ungvis in ulcere, permoleſtum. Quòd ſi brutis nimirum ſpiritum tribuamus, liberum quoque tribuere ſit neceſſe. Et ſi liberum, aequè ad bonum & malum, naturâ pronum. Et ſi talis brutorum ſpiritus ſtatuatur, benè & malè mereri poterit, ùt libuerit; eaque propter vel pœnâ pro meritis afficiendus, vel remuneratione pro rectè factis, geſtisque laudabiliter compenſandus. Quot ergo abſona & portentoſa hinc jugiter inferuntur. Id ſi eſſet oppidò quod ſuſpicaris, portentosũ & abſonũ nihil magis. Deo tamen primùm, non autem homini vivere, & propagari bruta tibi probandum; ſiquidem hac libertate, ad quam homines emancipantur, & bruta gauderent: Inde ea omnia conſequerentur abſona & portentoſa, quae ſomnias. Aſt bruta homini, Deo homines vivunt, & ſubjiciuntur. Nimirum Deus rerum omnium opifex Singularum, ſingulas quoque res ordinavit, centuriavitque, ita planè, ut bruta univerſa, ceteraque omnia, quae ipſe intelligendo perfecit, humanæ naturae commodo & delicio perfecerit; hominem verò ſibi, quem ſui ſimilem finxit. At haec quorſum, ais? Vacuis, quaeſo, da mihi operam auribus, dum res tota pateat. Libertas, de qua tantùm laboras, duplici claſſe cenſetur. Alteram indiffe-
ren-

rentiae, ſpontaneitatis alteram dicunt, ſcholarum voce exoticâ, & peregrinâ, qui circa rerum divinarum expoſitionem verſantur. Prima eſt facultas, alterutrum ex oppoſitis eligendi, ut quò voluntas malit, liberè intendat. Poſterior, non vi aliquâ extortum, ſed cum animi propenſione quâdam, ſenſuque illecebrae, placitum operandi, etſi tamen, nec motum morari, quò tendit animus, nec oppoſitum velle ullâ ratione poſſit. Haec ſunt veſtri penoris rancida, & pervulgata. Hinc mihi aditus ad objecta. Nego libertatem indifferentiae ſpiritibus ita competere, ut illâ ſi careant, gradû ſuô decidant, & naturâ ſpiritûs dejiciantur. Alioquî vel Angeli, & beatorum mentes ingenuae, abſurdè ſpiritus dicerentur. Eae ſiquidem, cùm perfectiſſimâ libertate fruantur, qualis ea quidem, quae Dei filios maximè decet, promiſcuè tamen ad repugnantia & contraria, in quo libertas indifferentiae ponitur, ferri minimè poſſunt. Haec libertas Superis, qui ſunt in bono, quod eſt rerum omnium expetendarum extremum, omnino praeciditur. Itaque ad ſpiritum, ut ſit hujusmodi, haec libertas non attinet. Quid autem illa brutorum praeterea interſit, quibus ea naturae conditio, ut homini ſerviant, & ſubjiciantur? At noſtra intereſt plurimùm, donec vivitur, quòd homo ſcilicet

Deo natus, Deoque vivens, bonum liberè consectetur, maloque item, si malit, liberè adhaereat, quò quisque pro meritis poenam, vel praemium ferat. Quare cùm ea libertas indifferentiae brutis superfluat, spontaneitatis autem, quâ quae agunt, cum delectatione agant, nullâ vi compellente extrinsecùs ad agendum, pro spiritûs libertate sufficiat, hanc, si quis brutis asciverit, non repugno.

Neque illud regeras, quod aliqui multi faciunt, bruta scilicet aliquando blanditiis & attrectatibus ad obsequendum induci, non semel incussô metu, minisque cogi, ita sanè, ut libertatis aequalitas, quâ nos indifferenter agimus, interpateat. In hunc nodum plerique omnes, qui de brutorum animâ meditantur, incidunt, eumque simul expediant, necesse est. Ceterûm, cùm experientia nos doceat, objecta esse plurima, quae adnitentibus sensibus in brutorum cerebrum imprimuntur, eaque vel blanda, quae brutum animal illectant, vel permolesta, quibus avertitur, ideoque brutorum spiritum penitùs & constanter inclinant, nullius frugis equidẽ puto, quaerere, cur modò agunt ex metu, cur mox illecebris inescãtur: utrũque enim animal sponte agere, utut objectis impellitur, judicamus. Sed adhuc in bivio pendes. Ara nimirùm superest, ad quam confugias. Spiritus non intercidit; cùm

cùm omne animal, quia materiae partibus heterogeniis compoſitum, earundem diſſolutione partium, intereat. Id autem ſubſtantiis ſimplicibus non contingit, quae cúm ſint individuae, naturâ ſunt aeviternae & nunquam interiturae. Ergo brutorum ſpiritus immortales. Nôſti jam, quae in hanc rationem cetera congeruntur. Quis autem devoret tam impudentem fabulam, & brutorum ſpiritus aeviternos oſcitanter admittat? Equidem fateor moleſtam *didaskalian*, eamque difficilem, quae enodatè expediatur. Sed ubi ratio non ſuppetit, & philoſophicae cognitionis lumen noctefcit, religio praenitet, & facem praefert luculentiſſimam. Ea monet ſcilicet proborum & frugi hominum animas in manu Dei eſſe omnes, quae licet mori inſipientibus videantur, tranquillè tamen, & affatim lætitiis omnibus perfruuntur; interea dum corpora cinefacta exareſcunt & tabent. Brutorum verò poſt obitum nihil eſſe reliqui, docet. Id Chriſtianè philoſophantibus certum. Verùm licet tota deſtruantur bruta, non perinde tamen pars illorum corporea, atque incorporea deperditur. Spiritus, quia carent partibus, partium diſſolutione non pereunt. Quî poſſit ergo brutorum ſpiritus interire? Hic tua recolas adverſaria, tuumque illud Theologicum gazophylacium, quo

va-

vales plurimùm. Inde excute, quae in communi ſenſu, conceptuque verſantur. Creandae, nimirùm dices & conſervandae naturae vim, ad unam eandemque cauſam eſſe penitùs referendam, ut ejusdem potentiae ſit conſervare, cujus eſt efficere. Haec palàm ſunt. Fac itaque, Deus ſubtrahat vim ſuam rebus conſervatricem; earum nec vola, nec veſtigium ſuberit: nulla ampliùs extabit. Fac perenniter influat ſuaeque influxu virtutis, pugnantia quoque & adverſa, aequabiliter in officio contineat; pugnantia ipſa nec deſinent, nec deſtruentur.

Rogo. Primus ille mortalium parens, num de vitâ migrâſſet, niſi peractus reus, peccati pœnam luere debuiſſet. Minimè ais. Mors ſiquidem Adae praevaricationem eſt ſubſequuta, ejusque noxa, hanc ſibi, nobisque omnibus, aerumnam peperit. Atquì Adae corpus ex luto & argilla, debuiſſet, ut cetera, naturâ diſſolvi. Sanè. Verumtamen Deo integram praeſervante partium congeriem ſive *armonian*, transtuliſſet quidem hominem, ut de Thesbite factum legimus, morti verò innoxium minimè adjudicaſſet. Scitè admodùm. Videſis modò, quae conſequantur. Idem ille Deus, rerum artifex ſummus, qui fluxarum partium reſolutionem arcere poterat, repugnantia corporis elementa

ta aequabiliter temperando, quodque erat morti intrinsecâ ratione debitum, ad vitae perpetuitatem provehere, num nequeat, naturam spiritûs aeviternam, vim suae virtutis creatarum rerum conservatricem praecidendo, abolere? Itaque ut paucis. Brutorum spiritus mori naturâ nequeunt. Pereunt tamen, quòd ita à sacris litteris commonemur. Quo tandem modo pereant, quae principio carent, quo cuncta pereunt, ex dictis hactenus reputabis.

Nolo hìc dissimulare calumniam certorum hominum insipientium, qui Dei vim infinitam, figuli comparatione, metiuntur, quasi verò mensuram agere illius possint, paribusque sint viribus fictilium ollarum plastae, sūmusque Conditor universorum, ut quemadmodum illi miseré suis operibus immoriuntur, iisque affabrè laevigandis castigandisque, enecantur, ita & Deus animarum jugi creatione detentus, earundem reparandarum curâ & labore plus aequo oneretur. Nugae merae, lyraeque. Nam qui volens jubensque omnia condidit, volens jubensque omnia deterit, Idemque nutu nictuque omnia interpolat, integratque. Sed haec deliria sunt exulcerati capitis ineptissima. Vide tamen, quàm me tibi facilem præbere cupiam. Illud etiam si mavis, quod non pauci sunt o-

pi-

pinati, ut Jamblichus & Trismegiſtus, totam hanc miram animularum infinitatem initio rerum fuiſſe partam, ut ceterorum omnium ſeminum ſpecies innumerae, quibus terrae, mariſque ſpatia ditantur & germinant, per me Tibi erit integrũ. Transmigratio illa Pythagoreorum, quae rationalibus minimè convenit, in bruta quadrare poſſet, quorum animae vitali aevo duntaxat, ejusque vicibus mancipantur.

Antonius Genuenſis Vir planè ſummus & in Mathematicis diſciplinis & Metaphyſicis verſatiſſimus, qui Neapoli nuper Philoſophiae ſuae placita magno cum plauſu vulgavit, eaque ſapientiſſimo inclytae illius Metropoleos Antiſtiti inſcripſit, & Romae deinde Pontifici omnium eruditiſſimo, exhibuit, huic opinioni non abnuit. Georgius verò Fridericus Meyer Hallenſis Academiae in Phyſicis Anteceſſor, nuperrimis ſuis, quas edidit Annô 1750. meditationibus etiã plaudit. Verúm, ſi licet de Viro, ingenii alacritate, & praeſtantiâ, in paucis numerando, judicium ferre, is certè plùs aequo vim mentis ſuae provehere videri poteſt.

Ait enim mortalium genus deſipere & ineptire, quòd ſeſe totius creationis centrum ſuperbè jactitet, cùm omnes omnium vorticum Planetae, omnia

omnia universi corpora, etiam minima & tenuissima, ut arenae sunt maris, incolis cogitatione praeditis instar hominum, compleantur. Hinc Mundum corporeum infinitate quâdam extendi, ratione infinitorum corporum, opinatur, quare etiam putat Mundum Spiritualem infinitis quoque varijsque Entium generibus, quae cogitant, & ratiocinantur, affatim abundare. Et quemadmodũ Mundi pars quaelibet materiati magna ea quidem, extensa, & perfecta facilè demonstratur, ita quãlibet Creaturarum intelligentium speciem in suo genere summam, & absolutam, ne sit natura noverca & deficiens, consequenter adfirmat. Quare de utroque naviter inquirendum.

Gradum propterea facit ad quatuor inde quaestiones. 1. utrùm Bruta animis informentur. 2. quibus praerogativis Brutorum Animae, quibusque facultatibus gaudeant, quae dubitatione non aestuant. 3. Num facultate rationis valere possint. 4. An ratione, dum vivunt, an eâ post obitum interitumque potiantur. Bruta habere Animas probat, ex penè omnium veterum consensione philosophorum, quorum ea fuit in hoc prodiga liberalitas, ut nedum toti rerum universitati, syderibus singulis, & Planetis, sed iis etiam corporibus Animas assignaverint, quae quoquomodo movebantur

tur. Sed hoc ex praepoſterâ, inquit, Animae ideâ. Ipſe verò Animam non ita generatim accipit; at eam eſſe ſubſtantiam, quae eumdem habet ad Brutorum corpora ordinem, & rationem, ut Anima ad hominem, putat; id eſt quae ſibi vi ſuâ penitùs ingenitâ Mundum, & mundi ſingula repraeſentet, ſuoque pro libito corpus afficiat. Quod ſanè, praeterquam Animantibus tribui, omninò nequit.

Hic loci Gomez Pereira Hiſpanus Medicus exibilatur, qui Annô 1600. omnes brutorum actus agendique principia, ad ſympathicam, atque antypathicam vim quamdam naturâ inſitam revocavit. Idem fermè de Carteſio judicium, qui ſcilicet ad automata, Bruta rejecit,

Proſequitur inde 2. locô ex analogiâ, organorùmque in Brutis cum homine paritate, Brutorum Animas cònfirmare; quemadmodum Chriſtianus Hugenius ex ſimilitudine Planetarum cum Terrâ, Planeticolas arguit & probabili conjecturâ deprehendit. 3. Si Bruta animâ cogitante, & cognoſcente carerent, fruſtrà Deus plurima procreaſſet, neque enim homines terrae bonitatem omnē, & pulchritudinem, animi judiciô ſui & ratione diſcernunt. Quot flores germinant, quorum ſuccus qui floribus continetur, elegantiſſimus homi-

nem

nem latet, qui tandem apibus sapit? Itaque paucis. Concessâ Brutis animâ, mundi, quà latissimè patet, juxta omnia puncta visûs, percipitur mirabilitas, & substantia. Cum etenim juxta Leibnitium, Animalium corpora diversimodè omnia discriminentur, diversam omninò sibique propriam dumtaxat positionem situmque partium obtineant necesse est; cumque diversitas ferè infinita sit corporum animalium, diversis infinitè modis, & rationibus Mundus repræsentatur. Id autem fini maximè convenit, ad quem singula sapientissimi Dei curâ extiterunt.

Quae autem in medio esse putat atque indubia, haec subsequuntur. Omnia quae hominibus competunt, exceptâ ratione & libertate, & Brutis cõpetunt. Sensus videlicet, & facultas cùm inferior, tùm speculativa; quâ unum altero excellit, ex quo aut mansuetiora sunt & docilia, aut ferociora, & monitoribus aspera. Jmaginatione & memoriâ pollent. Somniant. diversa internoscunt. Irascũtur deinde, & perturbatô cerebrô insaniunt. quodque ad appetitivã facultatem attinet, esuriunt sitiunt, ulciscuntur, procant, gratiam rependunt suæque vitae commodis, & calamitatibus sollertissimè advigilant. Jllud autem certo certius existimat, quod; cum bruta entia sint cogitantia, ani-

mae ipsorum propterea, distinctae penitùs à corporibus substantiae esse debeant minimè corruptibiles; iccirco, cum brutorum vita deponitur, animae durant, nisi verò eas Deus velit destruere, & in nihilum vertere, quod ita fieri, quis unquam evincere sibi sumat? Aliis ergo propterea novis corporibus adhaerescunt, suntque aut perfectiores, aut miseriores inducto teste Leibnitio hujusce opinionis locupletissimo.

An verò bruta ratione polleant, consequitur investigatio. In quâ illi in primis proponitur decidendum de naturâ rationis. Profectò Cartesius nec re poterit cum Rorario, nec verbis aliquid consentire. Positô enim, quod Ens omne materiâ expers & cogitandi potentiâ praeditum, omninò ratione polleat, sitque Spiritus, & intelligentia, cum nequeat esse Spiritus, & intelligentia Brutorum Anima, Bruta bonis animae deturbantur. Ita Cartesius. Posito, quod Bruta, Animae naturâ vigeant quae sit ens materiâ expers, & cogitatione donata ultrò illi rationem tribuamus necesse est, & plerumque etiam, quàm hominum, sollertiorem. Sic Rorarius. Uterque verò, cum rationis naturam atque notionem, funditus non exhauserit, maximopere hallucinatur. Atque hic de idea clarâ, & distinctâ, atque utriusque discrimine, eruditè conten-

ten-

tendit. Animae tamen hominis facultatē, quae duplex est, inferior & sensitiva, superior, & intellectiva, cognitionis appellat. Evidenter itaque arguit facultatem cognoscitivam, sive cogitandi potentiam, non idem omnino esse atque intellectū, cujus iterum quatuor sunt gradus. 1. cum clara, perspicua atque distincta alicujus totius forma, claraque partiū idea, sed tamen in individuo confusa repraesentatur. 2. cum claras atque distinctas, aut omnium, aut plurimarum alicujus totius partium, sed aliunde in specie cogniti, ideas conspicamur. 3. Cum ex Ideis rerum perspicuis, ideas abstractas confingimus. 4. Cum ex Ideis abstractis, sibique mutuò connexis, universalia judicia expromimus & probamus.

Rationem propterea, statuit facultatem esse discriminatim de connexione rerū dijudicandi, ideq; Eam esse atque intellectum, cum rerum fœdera & connexiones advertit; Eamdemque in duos gradus partiri placuit. In facultatem penitùs cognoscendi connexionem individuorum. Et in facultatem itidem concipiendi penitùs & sigillatim connexionem universalium. Ad primam satis, superque est 2. intelligendi gradus. Ut nimirum claram atque distinctam, aut omnium, aut plurimarum alicujus Totius partium, sed aliunde in specie cogniti,

gniti, ideam adſequamur. Ad alteram tertius, & ſupremus gradus requiritur.

Intellectum hinc, & rationem ab uſu atque exercitio diſcernit. Quare conſequitur Ens aliquod intellectum, & rationem habere poſſe, quin uſum illorum habeat, ut nempe in fatuis, infantibus, ac vino, ſomnoq; deditis patet. Ad haec, quid inter intellectum abſolutum; atq; hypotheticum differat, egregiè monet. Cuilibet hominum, excepto nemine abſolutus intellectus, ratioque abſoluta tribuitur, ut ſcilicet ſinè reſpectu ullô ad relationes, & circumſtantias, objecta comprehendat. Verùmtamen ratio hypothetica iis tantùm ineſt, qui ſub aliquâ conditione, & circumſtantiarum captu, objecta internoſcunt. His ergo poſitis, exẽplis utitur multis, & mirabilibus, probatq; Bruta plurima 1. & altero gradu intellectûs, tam quò ad facultatem, quàm quò ad uſum, tum intellectûs abſoluti, tum hypothetici, itemque alia plura 1. gradu rationis non minus quó ad facultatẽ, quàm quò ad uſum, tam rationis abſolutae, quàm hypotheticæ, excellere, atq; praeſtare. Id maximè liquet, quod Ea ſibi connexionis ideas certorum individuorum diſcretas, mirum in modum efficere videantur.

Denique, ut ad poſtrema jam pergat; num etiã que-

queant notiones abstractas, & judicia universaliũ Bruta comprehendere, trutinatur. In hoc si quidẽ nodus Herculeus, totiusq; difficultatis cardo versatur. Sed hinc inde pugnatâ pugná, deductisque pro utrâque parte momentis pluribus, & gravissimis, quorum supra jam pleraq; ex nostro penore extulimus, in hanc demùm sententiam,acutissimè, & subtilissimè loquitur.

Brutorum animae cognitione distinctâ universalium, dum vitam agunt, minimè gaudent, quare usu tertii,& quarti gradûs intellectûs & 2. rationis carent. Verumtamen, cum juxta diversos,pluresque gradus intellectûs, plures itidem sint Brutorum ordines,equidem non repugnat, bruta irrationalia post varias metamorphoses,h.e.post multiplices in aliorum brutorum corpora sollertiora, magisque perfecta transmigrationes, morte intercedente, quod omnium graduum intellectûs, & rationis, usum obtineant, fiantque Spiritus, & intelligentiae.

Enimverò,nisi diversi Brutorum gradus admitterentur, saltuatim natura à corpore ad spiritum transiliret; quamobrem ut ipsius agendi modo morigerari, atque obsequi videamur, in tres planè classes Bruta succenturiari necesse est. Eorum scilicet, quae nec usum primi gradûs intellectûs,nullam-

Iamque speciem claram & individualem habent. Eorum subinde, quae necdum facultate vel usu etiã primi gradûs intellectûs donantur. Eorum denique, quibus inest 2. gradus intellectûs primusq; rationis. Haec autem postrema Brutorum classis proximè ad spiritus, & intelligentias accedit, quorum naturam, & perfectionem, variatis corporibus, consequetur. Hoc inde conjicit, quòd, cum gradus intellectûs & rationis nil aliud sint, quàm attentio magis, minusq; perspicax, quae Brutis omnibus competit, hanc attentionem Bruta, morte intercedente, eaque propter ex 1mâ in 2dam, ex 2da in 3tiam Brutorum classem migrando, perficient, atq; ideo fieri omnino poterit, ut rationalem naturam denique, & dignitatem adipiscantur. Quô enim modô optimum Deum, suarumq; Creaturarum amantissimum, cogitare quis poterit, ita à suis operibus, infenso animo, alienum esse, ut prope innumera & infinita destruere atque abolere statuerit, quin auctorem ea suum, pro tot benefactorũ donis acceptis, meritis aliquãdo gratiis, & laudibus prosequantur?

Hactenus cl. Meyer. Qui quantô ingeniô, Exetestice, quantâq; cogitandi Sagacitate, evolaverit, aliosque philosophos, tum veteres, cum recentiores praecesserit, facile est deprehendere. At enĩ,

ut

ut miſsa faciam, quae praemittuntur theoremata, majorem partem, aut vera, aut probabiliter vero proxima, & quam ſimillima, illud eſt inprimis quod mihi negocium exhibet,non eſſe nimirùm hominem, creationis terminum univerſae, omniumque centrum Creaturarum, quae in hac rerum immenſitate, noſtris oculis ſubjiciuntur. Quàm id crudo ſtomacho ingurgitamus! eòque mordicat magis, quod Ipſe in litem jurat,nihil adferre ſeſe, quod revelatae veritati, quoquomodo reflare poſſit. At quare ergo omnia ſub pedibus hominis Deus dicitur poſuiſſe? quare die ſeptimâ requievit poſt hominis creationem, illumque, ut faſtigium ſuis operibus praefinivit? quod idem valet,ac primùm intendere hominis creationem,quae iccirco fuit omniũ poſtrema. Quid nomenclatione Ada, quaeque propriâ,bruta omnia donavit, jure quodã ſuo, & dominatûs auctoritate? niſi ut palàm fieret, ad hominis principatum referri,creata omnia, debere? Quid demùm ſuis ipſe manibus Deus hominem finxit, ſuoq; ſpiritu mirabiliter animavit, quae cuncta de ceteris non leguntur? At illud aptè, & concluſè ſuadere facilè poſſunt, ut ne vitio verti noſtri generis debeat, ſiquidem originem ſuam & dignitatem,ut Deo ſcilicet gra-

Pſal. 8.

Gẽ: c.1. per totũ

tus, ad ipſum vehementius adſpiret, apertiſſimè intelligat, & fateatur.

Haec revelatae veritatis eſſe, nemo negaverit. Et ſi autem expreſsè de homine, ut creatorum omnium termino minimè à ſacris paginis doceamur, quaeſo, quis inde implicitâ conſequenter ratione non arguat, hominem eſſe talem, qui ejusmodi creationis praerogativâ ceteris antecellit? cui dierum, noctiumq; viciſſitudo, cui commutatio temporum quadripartita, ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum, apta, cui multitudo pecudum, ut ait *Cic*: partim ad veſcendum, partim ad terrae cultum, partim ad vehendum, partim ad veſtienda corpora, famulatur, Cui ſolis, Lunaeq; accretiones & diminutiones ſignificant dies, Cujusque utilitati agri omnes, & maria patent, interea dum ipſe contemplator Cœli, Deique cultor, animantium omnium, in quibus regnat, obſequio, atque operâ, in deliciis agit.

Tuſcul. Quæſt: lib. 1. n. 69.

Pſal. 8.

At hæc fuerint, ut libet. Verumtamen quis, amabo Te, illam animularum curſitationem decoquat, quâ aliorum corporum, non ejusdem naturae individua, ſed varias, & diſſimillimas ſpecies, nullo praeſcripto jure, vel cauſsâ, quare vel praeſtantiores, vel deteriores ineant, temere pervagantur, donicùm elimatae, ac veluti ſcoriâ, tribus

bus brutorum claſſibus percurſis, abjectâ, quâ miſerae infuſcabantur, ad rationalium tandem naturam, mirabiliter evehuntur? Ergo nec genere, nec ſpecie differunt Brutorum Animae à rationalibus, cum tamen DEUS *producat Terra animam viventem*, dixerit, *in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terrae ſecundum ſpecies ſuas*. Gen. c. 1. Niſi velimus omnium cathegoriarum ordinem perturbare, non valeam, ſi quidem iſta probabiliter aſſeruntur. Unaquaeque res & ſpecies habet eſſentiam ſuam & conſtitutum, quo talis eſt & dicitur. Id autem contingens eſſe non poteſt, pro quo aliud ſubſtitui queat, ijſdem manentibus ceteris, quae eidem inſunt. Quare ea res, & id cui nihil penitus ſubſtitui poteſt, immutabile praedicatur; & Wolf. P. 1. ſect. 3. c. 3. §. 29. ſi immutabile, neceſſarium. Speciebus ſingulis conſtitutum eſt ſuum, quo ab aljis differant. Si natura pluribus convenit, ut ajunt, eſſentialiter, vel ita convenit, ut praeter illam in re aliud nihil contineatur, dicitur ſpecies. Si veró convenit ut pars eſſentiae, dicitur genus, aut differentia. Haec Lippis & tonſoribus nota. Vel ergo animalia habent ſpecies ſuas, quae in attentione dumtaxat magis, minusque perſpicuâ conſiſtant, En hinc Tibi aliquid contingens, per quod ſpecifica conſtituuntur. Non ergo immutabile, & neceſſarium

est, quo essentiae rerum, & differentiae constitui debent. Si verò dixeris Animalia specie minimè discriminari, & differre, non secundum itaq; species suas, Deus, brutorum animas succenturiavit.

Ceterùm haec à Stoicis, & Pythagoricis, quos inter, duorũ seculorum spatium effluxit, jam olim excogitata, aliâ semper, & aliâ viâ, demendo, mutando, curando, interpolantur, quae tamen Cicero explosit, Ovidius exprimit elegantissimè.

DeNat. Deorũ l.1. Metamorp. lib.XV.

Morte carent animæ: semperq; priore relictâ
Sede, novis domibus habitant, vivuntq; receptæ.
Omnia mutantur: nihil interit, errat, & illinc,
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus; èque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster; nec tempore deperit ullo.

Plaude igitur Exetestice, decantata est fabula. Enim verò qui sapiunt, ne hisce doctrinarum scopulis haereant, aut verticoso Charybdis aliquo insidentis hiatu, miserè intercipiantur, navim in altum remulco trahunt. Ea propter, quae dicta sunt hactenus, sic velim, accipias, ut hypotheticè dicta, quae tui gratiâ diximus, interpreteris.

Utinam Tibi per tua studia, mihi verò per meas rationes, ea quæ sunt reliqua, in hac implicatissimâ disputatione liceret, mutui communicatione sermonis, diutius expendere; praestantes, credo,

fru-

fructus caperemus, mentione factâ tam diversimodè discrepantis in hac quaestione judicii, seu potiùs phasmatum mirabilium, quae, qui Philosophorum nomine sese efferunt, speculationis ductu parum probabili, & fallaciis pleno, fabulati sunt. Nos, herculè, beatiores,quibus revelatae veritatis lumen affulsit.Hoc duce semitam sapimus, Hoc viam praemonstrante, digitum ad puriores rationis fontes intendimus. Ex illâ quippe veterum fabularum scatebrâ, quot deliria, quot monstra perpetim eruperunt? Adverte. Nullam esse animam Crati Thebano, Plerisque verò corporum tenuissimum, placuit. Alij ex igne, ut Leucippus. Alij ex àére, ut Anaxagoras; alii ex aquâ, ut Hippias; alii ex terrâ, ut Pronopides; alii demum ex igne, & àére quidpiam mistum, animam confinxerunt. Eòque amentiae processit Euripidis & Avicennae stupiditas, quorum tamen in litteris fama non mediocriter prædicatur, ut cùm luteos & argillaceos mortalium primos, ex veteri forsitan traditione accepissent, eos iccirco instar olerum natos, ut caepae & brassicae, è terrâ progerminasse asseruerint. Id etiam brutis poterat, nullâ objectâ religione, competere. Cœptum deinde acriùs & sollertiùs de animâ cogitari, ita quidem, ut philosophorum ingenia, quasi per gradus ad animi

mi cognitionem eniterentur. Quare Chrysippus & Archelaus, lucem, esse animam pronunciarunt. Acutè magis Thales Milesius, naturam mobilem & irrequietam, animam definivit. Subtiliùs adhuc non paucis, harmonia dicta est praestantissima, Sed ab ipsâ corporis concretione dependens. In hac opinione Lyceum, ejusque factio. Platoni etiam sollertiùs, & Zoroasti, & Pythagorae, & Trismegisto, & Timaeo, Porphyrioque, aliis deinde, atque aliis, divina quaedam substantia tota, atque individua, totique & cuique parti corporis praesens, quin à materiâ dependeat, anima visa est. Ex quo quàm profecerint paulatim ratiocinãdo, meditandoque Philosophi, abundè colligis. Qui, etsi multa peccaverint, eos tamen ad veritatem accedere non negabis. Peccârunt autẽ plurimùm, cúm Deum scilicet esse animam universi, eamque cum ceteris, quae sunt viventia, participari, somniârũt. Quod nisi esset absurdissimũ, brutorum animae in tuto forent. Manichaeorum autem haeresi id placuit, quorum ea fuit opinatio, ut mundi anima, in corpora singulorum sive exanima, sive animata, peraequâ proportione partiretur, minusque de eâ capere, quae videntur nobis animâ expertia, ea verò magis, quae animata dicuntur, motuque celeri concitatiús agunt. Quid plura? Etiam

am ex traduce animam propagari, ut quemadmodum facula ex aliâ accenditur & lucet, ita animarum genitura augeatur, Tertullianus, Cyrillus, Apollinaris, sunt fabulati, quos Hieronymus suggillavit. Origenes ab initio creatas omnium animas somniat, quae subinde, prout corporibus opus est, in sua quaeque domicilia demigrant; quod commentum non est utique in ejus erratis minimum. Nequit enim forma corporis solitaria, & seorsim à corpore, ad quod ordinem dicit ubi creata est, corporis aditum, quasi investibulo praestolari. Haec & alia plura, si mihi vacui temporis esset, quantum res exigit, conferre tecum percuperem, ubi coram fieret opportunitas colloquendi; Ut quot tenebris infuscati in re tam dubiâ & perplexâ Philosophi trepidaverint, sedulò meditantes, illud animo infigeremus, nullam esse quaestionem magis inextricabilem & involutam, quàm quae de vitae principio, vel ea sit hominis, vel brutorum, agitur. Quòd me autẽ, quasi aliquâ rerum physicarum notione tinctum, de tam ambiguâ disputatione rogaveris, amplector voluntatem tuam. Sit ita, ut existimas, vel potiùs existima, quod lubet. De hoc non est meum statuere, verène sentias, an secus. Ego Tibi me totum credidi; viamque non arduam, & salebrosam arripui, quod plerique solent, sed planam & expedi-

tam, quam queant omnes ingredi, tutòque excurrere. Puto enim eos, qui rectà pergunt, rerum naturam investigando, faciliùs exitū invenire, quàm qui sublimiùs oberrant, ingenii alacritate, diverticula consectantes, ut viam faciant.

Itaque persvaderi tibi patere, amori duntaxat erga Te meo, qui me ad scribendum impulit, omni aliâ ratione posthabitâ, gessisse morem. Tu cum legeris, eô velim accipias animô, quô nos cogitavimus & scripsimus. Facit enim mutua inter nos consuetudo, ut existimem, quidquid Tibi conducat, id mihi etiam expedire. Ceterum cùm in eâ Urbe agas, quae liberalium omnium disciplinarum domicilium habetur, facilè poteris ab excultis doctrinâ viris, quorum Te ad numerum aggregamus, luculentiùs illuminari, id quod ego efficere unius epistolae brevitate, non potui. Licèt enim multa, quaè scripsimus, videantur; multa sunt scilicet pro hoc scribendi genere, pro rei tamen copiâ & gravitate, admodùm pauca. Tuae erit igitur humanitatis acceptum habere studium, quod Tui gratiâ suscepimus, mearum verò partiū, benevolentiam erga me tuam novis subinde factis, novisque amoris & observantiae significationibus, demereri.

En Tibi, mi Varmie, utcunque Latinè versum, Ano-

Anonymi judicii ſenſum. Neque enim omnia naturae phaenomena, purâ illâ putâque Romani ſermonis lautitiâ, commodè & ritè explicari queunt. Hunc modò, ſi Te, trutinâ exquirere & maturâ meditatione concoquere non piguerit, habebis inde ſatis, quò facilè ſtrenuam illam tuā atque praeclaram adipiſcendae eruditionis cupiditatem explere poſſis. Sunt enim Tibi delibatae opinionum ſcatebrae fere omnes: etſi quidem non penitus exantlatae atque hauſtae; quòd huic ſcribendi rationi minimè conveniret. Si tamen in altum vela dare malueris, & maris immenſi ſpatia, cujusmodi haec implicatiſſima diſputatio eſt, percurrere, per me licet. Verùm copia, ne Te inopem faciat, atq; obruat, vehementer dubito. Quod autem ſupereſt, amorem meum ama. Tibi enim uni meus hic labor, quicunque eſt, vacare ſtuduit. Tuam ego verò laudem, induſtriam, & improbum in comparandis optimis diſciplinis conatum, ſemper in animo atque oculis feram. Vale.

Dabam Varſaviae pridie Idus
Decembreis M.D.CC.L.I.

NOCTIUM SARMATICARUM VIGILIÆ.

Dixit quoque DEUS, producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas, factumque eſt ita. *Gen: c.* 1. 24.

Jubetur terra animam viventem producere, ut oſtendatur animam viventem brutis ineſſe, quæ cum corpore diſſolvatur.

S. Auguſt. de anima c: 23

FRIDERICO. ALOYSIO
S. R. I. COMITI. BRÜHLIO
REGIÆ. ARCIS. ET. TERRITORII. VARSAVIENSIS
EPARCHO
AVITIS. TITULIS. ET. FUMOSARUM
JMAGINUM. NOBILITATE
PRÆCIPUO
IN. SPEM. MAGNAM. SUMMI. GENERIS
PUBLICÆ. REI. ET. LITTERARUM
NATO
PARENTUM. PRÆCLARORUM
VERÆ. VIRTUTIS. ET. MAGNANIMITATIS
LAUDE. PRÆSTANTIUM. DELICIO
QUOD. IN. MUSARUM. CASTRIS. NAVITER
STIPENDIA. MEREAT
HOC EST
OMNIUM. DISCIPLINARUM
EXERCITATIONE. INCLARESCAT
SUIQUE. MAXIMAM. LITTERIS
BONOQUE. PUBLICO. EXPECTATIONEM. PARIAT
EPISTOLAM. PHILOSOPHICAM
DE. VITALI. PRINCIPIO. QUOD. EST. IN. BRUTIS
NOCTIUM. SARMATICARUM. VIGILIIS
ELABORATAM
UBALDUS. MIGNONIUS. SCHOLARUM. PIARUM
GRATI. ANIMI ET. OBSERVANTIÆ. DEDITÆ
MONUMENTUM.
D. D. D.

Cenſori Regiomontano UBALDUS MIGNONIUS Famae perennitatem.

QUàm Tibi, Vir magne, debere me intelligam ex nuperis Tuis ad meam Epiſtolam Philoſophicam gnomis, notiſque doctiſſimis eleganter adſutis, explicare vix poſſum. Mirum eſt quàm profecerim, quàmque multarum rerum captus patuerit, quas herclè juratus aſſeruiſſem, ut quòd Ego videam modò, quòd reſipuerim, Tu te unus in causâ ſis, qui tam mirabili Sapientiâ vales cum nullâ vel recentiorum, vel veterum comparandâ. Itaque in primis, quod Ego nunquam putâſſem, arcanum aperis magnum de Noctium Sarmaticarum ſignificatione. Ecquid, graviter clamas, Vigiliae nomine, & Sarmaticae ad rancida abuteris, eleganter quidem, ſed inutiliter explicanda, cum rebus magnis, & gravibus, & reconditis, vox haec magniloqua reſervetur? Papàe quàm ſcitè! Aſt Ego miſer plus aequo Auli Gellii judicio detuli, nimiùm quantùm Henrico Stephano prae-

clarissimi famâ nominis allucinatus. Hisce stupidis & insanis viam praecurrentibus è vestigio aberravi. Noctibus Alter Articis, Parisiensibus, Alter, quid tandem pepererunt magni? De voculis aliquando, vel semibarbaris, vel Latinioribus, de fabulis etiam, & frivolis, ad Loca, & locorum originem pertinentibus, uberi filo disseruêre. Equidem hoc exmplo mihi perperam ad imitandum proposito, in foveam prolatis pedibus incidi, quàm certissimè ratus Noctium Sarmaticarum vocem, illarum quàm similem, posse pariter summam de brutorum Animâ sententiarum comprehendere, quin aliena à potestate dictionis Sapientibus videretur. At Tibi, qui calles ista funditus non probatur; illudque pugnas, quod, cùm hae Sarmaticae sint, non Atticae noctes, aut Parisienses, propterea mariamontesque debeant, ut scilicet huic vastissimae Septemtrionis immensitati respondeant, mirabiliter continere. Quare, cum Ego Te plurimi faciam, Tuamque amplissimam in omni genere disciplinarum eruditionem plerisque omnibus anteponam, Henrico Stephano, & Gellio in malum carcerem abire jussis, Laurentium quoque Comitem Magalottum aeui olim sui lumen clarissimum ejurabo, qui me in hoc curriculo non vigiliarum, sed literarum philosophicarum nomine

mine, tanto cum omnium plausu praecessit.

Fucum praeterea Tibi, & negocium maximum facit, titulus ille *de vitali Principio, quod est in Brutis*. Euge, Philosophus nunc videre provectior, cũ hactenus elementarius uiderere. Vivunt, fortasse dices & arbores, itemque spirant & adolescunt, & tamen animâ carent; quaeque est in arboribus, aliisque oleribus vivendi causa, partium dumtaxat ordine & harmoniâ continetur. Equidem non inficior. At siquis ex Peripato haec audiat, risu dissiliet totus, Teque in crimen, demisso ad mentum supercilio, praeposterae ratiocinationis vocabit, cum arbores, eaque omnia, quae germinant, & fruticescunt Animâ vegetante donentur, ex quâ origo sumitur, initiumque vivendi. Ita in brutis, ceterisqne Animantibus. Quidquid enim intrinsecus vitam inchoat, vel illud Animam dicas à partium temperatione distinctam, vel materiam ipsam puriorem, quam veluti flammulam electi sanguinis definivit Gassendus, vel demum figuram ipsam, & partium consonam distributionem, nunquam verò generandi vim & facultatem extraneam, ut Tu te illepidè & crasè loqueris, illud est, quod quartae etiam classis, nedum majorum gentium philosophi, vitae principium vocant, sine quo vitam agere, datur nemini.

Adsis modò. Cum in quaestione versamur

aliquâ, multiplici concertatione pugnatâ, necui ex partibus ſtatim adhaereſcere videamur, vocibus utimur in medio poſitis & generalibus, quibus, quòcumque torqueas, hypotheſis quadrare poſſit. Ad rem itaque. Vel enim mavis hoc vitae principium Animam eſſe ſecretam à corpore, ut in praeſens plurimi, vel eam materiae florem ſeleĉtiſſimum, vel organici tandem corporis, partiumque texturam aſſeras, Tibi erit Liberum hanc qualemcumque Animam, vitale principium dicere, & de Animantibus praedicare. Haec Aniculae ſciunt, eademque ad Occidentem, & ad Orientem accolae olfacere nullo negocio poſſunt.

Deſine, amabo Te, ea vellicare, quae minimè tenes. Alia erant graviora, magiſque in Phyſicis ponderoſa, queis inſurgere poteras honorificè, ſiquidem recentiorum cogitationes fidentiùs auĉtas reprehendere per Tuam ſemunciariam eruditionem licuiſſet. Attamen de tuo penore parum adferre poteras, etſi vires ingenii tui penitus exeruiſſes. Tot enim ſunt mortalium doĉtiſſimi, praeter Boullierum, & Dillyum, quibus tantopere palpas, qui hanc incudem tundere ſusquedeque naviter ſtuduerunt, ut vix, & nevix quidem, quod intaĉtum, illibatumque eſſe poſſit, invenias, quo haec recentia vel propugnantur, vel impetuntur. Pardies in hanc a-

renam

renam deſcendere, ſed malis avibus, auſus eſt, nunquam verò ſe adjicere Carteſianorum caſtris, ut ſomnias, perperam cogitavit. Ego uerò ſemper, quidquid variari inter Phloſophos & dubitari contigiſſet, extra teli jactum placidè conſtitiſſem cum nempe duabus ſellis, ſiquidem expiſcaris, ſedeam. Concludit enim epiſtolam ea Comicorum aſeſis = *decantata eſt fabula*, ex quâ ſi Latinè ſcires, nullo me auctoramento obligari deprehenderes, eaque propter ſcripſiſſe me ut ſciberem, non autem ea credere, quae ſtyli gratiâ exercendi potius, quàm tuendarum partium amore, hypotheticè, & perfunctoriè exaravi.

Verùm Tibi Metaphyſicorum dogmata, nugae ſunt, atque apinae delirantium. Aedepol! hunc Tibi malum genium Rabelais inſpiravit, qui ut magnis inimicitiis ſcurra inclareſceret, famamque medicae facultati, quae omnium eſt incertiſſima, conciliaret in reliquis peregrinus, de metaphyſicis tam malè meruit: quidquid vates ogganniat, qui cecinit *felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas*. Henricus Cornelius Agrippa, in quo fortaſſe habitas totuſque vivis, idem uiſit procaciter, ſed ingeniosè; omneſque artes, & diſciplinas in faſcem ad comburendum coegit, ut quiſque intelligat ad feliciter, & beatè vivendum, quod aſotorum eſt cura, illud eſſe admodum ſatis,

tis,

tis, si naturae beneficentiâ atque effectibus perfruamur, causis, unde ista manant, pessumdatis, & penitus praetermissis: Hujusce furfuris homines ad vivum exprimit, rectàque Atheismo velificari, Bartholomacus Vessel Polonorum in primis doctus probat, editâ *Ad Reflexiones Philosophicas de origine Animalium acris & exacti judicii* elegantissimâ responsione Amstelodami Anno 1750. MDCCI.

Non possum autem hic dissimulare, vir Magne, turpissimam hallucinationem tuam. Quâ enim fronte Deum optimum, non eò hominem procreasse deblateras, ut rerum causas & efficientiam, sed earum foetus dumtaxat, utilitatemque internoscat? *Persecutus est Aristot.* ait Cicero: *Animantium omnium ortus, victus, figuras, Theophrastus autem stirpium naturas, omniumque fere rerum, quae è terrâ gignuntur causas, atque rationes, quâ ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum.* Nunquid omnes Te uno sapiente desipuerunt? Quid inter brutum, & hominem interesset, si ad particularia tantùm, non etiam universalia hominis captus animo posset advertere, essentque homines, ut bruta sunt, quae sibi utilia, & frugifera, & ad vitam maximè necessaria optimè norunt? Quis deinde sensibus credere

De fin. Lib. 1.

dere fallacissimis queat naturam investigando, quin adhibitae in consilium rationi innitatur? Nonnè philosophi quales quales fuerint, & Physici, & Metaphysici, bene inspectis effectibus, ad altiores principiorum origines pervenerunt? Verè Sapiens quilibet cum ad hanc venustissimam rerum universitatem oculos circumvolvit num Deum existere inficias iverit? Si mox ad seipsum suamque vim cogitandi detorserit, num se aliquid divinum esse, unde cogitata promuntur, non assequetur? Perge porró. Cum oritur occiditque Rex omniũ Syderum, & decretione paulatim volvitur, Lucisque partes non unà omnes, sed succedaneas distribuit, Orbemque illuminat, num exinde non arguis Terrae rotunditatem, vel minimùm Terrae formam ad sphaeroidem pertinere? Et si Tibi aliquis Planetarum offusis tenebris obscuretur, quid inde conjicis? Terram scilicet interjacentem aut Lunam fulgorem syderis intercepisse. Et si coloribus speciosissimis variegatam Iridem conspicaris, de reflexione statim repandae lucis, aptissimè cogitabis. Quî ergo possis hominem à causis internoscendis rejicere, eumque adserere, ad effecta dumtaxat examinanda divinitus destinatum? Eique propterea satis superque esse animantia ad suum commodum adhibere, quemadmodum animantibus, ut noxia

caveant,

caveant, utilia persequantur, est satis. Risum tenere difficile est, Eorum plerisque, qui Libris vacant, eosque versare & legere didicerunt.

Quid uerò Tibi tantum cum Alaudis inimicitiae? Num, quia Romanae sunt, non Borussicae? Atqui ea venatio planè mirabilis, ex quâ & captus illarum, & calliditas patet maximè. Egomet animi causâ non semel quàm jucundissimè interfui. Cumq; eam naviter animadverterim, periclitari mihi in mentem venit, num Latinè, quo tantum gaudes, etsi à scribendo, pudore quodam, & modestiâ detentus abstineas, describi ad elegantiam posset. An pro voto successerit nescio. Jd etiam Bartholomaeus Riccius de ludo follis conatus est, quem ad miraculum, suo more explicavit. Videsis Auctorem egregium, & Latinissimum, etsi vereor, officinae Sapientiae Tuae, ne ista desint; cum Pluche dumtaxat Tibi sit instar omnium bibliothecarum, doctrinâ, & eruditione locupletissimus. Tamen & Tuanum de re Accipitrariâ testem, vademque habui, & nunc quoque Ipseuticon Petri Bargaei, de aquaticarum avium sollertiâ nomino, praeter Rorarium, & Plutarchum, quos affatim de mirabili Animantium industriâ loqui, ad ravim retuli. His adde Schubertium, Petrum Reuschium, Ribovium, & Jenchinum Thomasium, qui proximè

proximè Rorario, brutorumque Animae cogitanti sese vindices asseruere. Boeotia Tibi auris est, mihi crede, neque ultró citròque re cognitâ judicium profers, quod in viro summo, ut Tu scilicet, est maximè condolendum. Quid? Poliantheam aliquam infinitam, & non epistolam, expectabas? Mehercule, anno senior fierem, siquidem Tua omnia satagerem nugacissima trutinari.

Atquì de Apibus ad rem magis. Oh! Tibi Ego ut credam inposterum, repugnantia cùm loqueris? Nova, dicis, & inaudita esse adferenda, cum scribimus. Id vigiliis Sarmaticis convenire. At quid Apum naturâ notius, magisque recoctum? quam Virgilius, Theocritus, & C. Plinius, ad satietatem explicuerunt. Haec sunt vetera, & ipsâ antiquitate antiquiora. Sed enim facile est deprehendere, cur ista regeras. Voluisti admodum peracutè, Apum memoriam, ut Eas esse virgines commoneres, datâ operâ refricare. Medius fidius! Pueri etiam elementarii Virgilium terunt, qui cecinit.

Jllum adeò placuisse Apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem solvunt, aut foetus nixibus edunt.
Verùm ipsae è foliis natos, & suavibus herbis
Ore legunt. Ipsae Regem, parvosque Quirites
Sufficiunt. *Lib. 4. Georg.*

Quamobrem non Regis nomine ſed Reginae, ducem hanc ſtrenuam Apicularum vocandam eſſe potiori jure, quem fugit? Adde etiam Cancrum, ſi placet, coeleſte ſignum, Aſtronomis notum, & ipſe femina eſt, ut Firmico placet. Atquid interea? Regem Apum ſemper, & Cancrum maſculum vocitabunt, quidquid Reaumurius occinat clamoſiſſimè. Lupus in fabulâ. Kóclero nuper, & Lentio, & Peterſio, quot rixę cum Andraeâ Bel diſſenſionesque extiterunt, ut Magnae Thereſiae Auguſtae Regium nomen decernerent? Quae tamen Rex Hungarorum ſemper, jure Gentis publico, praedicabitur.

Ergo receptui canam. Tu te ſiquidem, nullo Tibi Scopo propoſito jacularis, & cum in quadris Philoſophorum agam, coenare me doces. Adjuro tamen per Tuum caput, quod tanti aeſtimo, ut nihil magis, moturum me omnem lapidem, ad hanc miſeram praejudiciorum peſtem penitus auerruncandam. Id ſuadet auctoritas Tui nominis ſumma. Nam, cum Te, Vir Magne, in re dumtaxat numiſmaticâ, & anaglyphicâ cum primis verſatum exiſtimaverim, video & in Phyſiciis te verſatiſſimũ, qui bullatas Metaphyſicorum nugas peſſum dejicis, eaque nova, & inaudita venditas, quae captum omnem, rationemque mortalium longiſſimè praetervehuntur.

Te

Te Amicè tamen monitum volo, Tibi ne inpofterum illud excidat, Tibi, Mihique, totique hominum Generi iniquum, Deum fcilicet amantiffimum hominis Conditorem, hominem deinde ad turpiffimam caufarum omnium ignorationem nequiter abjeciffe. Acri fpiritu, & forti, quod ajunt, ifta effutiuntur, quem pulchrè Meyer clariffimus, ignorantiae, & ftupiditatis fpiritum vocat. Caveas deinde, fi fapis, à Sycophantis, quos effe plurimos non ignoro, Teque circumfpice diligenter, neque nullis fis Amicus, neque multis; ne corio ludant tuo, noftrisque impendiis, ore catuli Gallicani rideant. Tricas odi, & Tricones. Severiora mihi funt ftudia, à quibus avelli, minimè patior. Concludat ergo Martialis quod joci gratiâ, & falis, non autem fannae, & contumeliae dictum, fcriptumque volo. in praef. ift hic.

Ohe! jam fatis eft, ohe libelle.
Jam pervenimus ufque ad umbilicos: Lib 4. epig. ult.
Tu procedere adhuc, & ire quaeris,
Nec fummâ potes in fchedâ teneri
Sic, tamquam Tibi res peracta non fit,
Quae primâ quoque paginâ peracta eft.
Jam Lector queriturque deficitque,
Jam Librarius hoc & ipfe dixit.
Ohe! jam fatis eft, ohe! Libelle.

REPONSE
A la Critique faite d'une Lettre Philoſophique = *De vitali Principio, quod eſt in brutis*: par un Inconnu de reputation, faiſant ſa reſidence á Kónigsberg.

Monsieur.

JE doute fort, que je puiſſe bien vous dire toute l' obligation, que je vous ai depuis qu' il vous a plû d' enrichir de nôtes vraiment ſavantes ma lettre Philoſophique = *De vitali Principio, quod eſt in brutis* = Quel fond d' erudition dans vos remarques! Elles ont êtè pour moi un tréſor de connoiſſances; oui, je dois à Vous ſeul l' avantage d' être ſorti de l' erreur, où j' êtois depuis long tems: Je n' euſse ſans doute trouvé chez les Anciens, ni chez les Modernes, perſonne, qui pût me rendre le même ſervice. Mais entrons, s' il vous plait, dans le detail de vos reflexions; Je ne me laſse point de les examiner. Je ne me ſerois pas attendu a vous voir découvrir d' une maniere ſi ſenſible le grand miſtere, que renferment les termes = *Noctium Sarmaticarum Vigiliae* = Quoi? dites vous

avec

avec tout l' air, et le ton d' un homme, qui veut en imposer: peut on abuser ainsi des termes de veilles,& de Sarmatiques,jusqu' à les employer à expliquer des bagatelles tombèes depuis long tems dans l' oubli? Et l' Auteur de la Lettre n' eut-il pas mieux fait de deployer son éloquence sur quelques points importants,serieux, et du nombre de ceux, qui ont echapè jusqu' ici aux découvertes des plus habiles? Ces grands mots sont ils reservés à de pareils sujets? A ce trait, je l' avoue, je reconnois le savant. Mais meritai-je seul Votre courroux? Si je suis coupable, c' est pour avoir trop deferé aux sentiments d' Aulus Gellius, & d' Henri Etienne: Leur grande reputation m' a fait illusion: Qu' on est à plaindre, quand on n' a pour guides, que des ignorans! Si j' avois eu le bonheur de voir vos ecrits plus tôt, que les leurs, j' aurois peut être fait moins de faux pas. Aulus Gellius a intitulè son ouvrage, *Noctes Atticae*, Henri Etienne a donné au sien le titre de — *Vigiliae Parisienses*: Mais enfin de quoi ont ils parlé l' un, et l' autre? Jls ont traité fort au long quelque fois des mots à demi barbares, ou plus approchants du Latin; quelque fois ils ont raporté des contes les plus frivoles, qu' on leur avoit également debité, sur divers pais, et sur leur origine. Voilà l' exemple qui m' a-

voit

voit séduit. Je ne me suis trompé, qu'en marchant sur leurs traces; Et qui n' auroit crû avec moi, qu' un Auteur écrivant en Pologne pouvoit d' aprés eux, sans abuser des termes, sans rien diminuer de leur force, donner à une Dissertation sur l' ame des Bêtes ce titre = *Noctium Sarmaticarum Vigiliae*? Cependant plus eclairé, que mes guides, mieux instruit qu' eux, vous persistez à me condamner. J' aurois dû, peut-être, puisque j' écrivois en Pologne, et non pas à Athenes, ou à Paris, ne traiter, que des vastes plaines des montagnes, & des mers; J' aurois dû en dire les choses les plus surprenantes; la grandeur du sujet eût alors repondu à la vaste etenduë du Septemtrion. Je vous estime trop, & je suis trop persvadé de votre profond savoir, pour m' obstiner plus long tems à me défendre: Je renoncerai dés à present à AulusGellius, à Henri Etienne: Je vous ferai même le sacrifice du Comte Laurent Magalotti, cet homme, qui faisoit autre fois une des plus grandes lumieres de son siecle, & qui merita l' approbation de tout le monde, pour avoir donné des ouvrages sur le même sujet, sous le titre, non pas à la veritè de veilles, mais du moins, de lettres Philosophiques.

Avançons. Un autre titre, qui paroit vous causer d' étranges embarras est celui, qui est conçû en ces termes = *De vitali Principio, quod*

est

eſt in brutis = Vous avez-jusqu' ici Mr parfaîtement joué le role d' Ecolier, mais maintenant vous allez commencer celui de Philoſophe. Perſonne, direz vous, n' attribue une ame aux arbres: Jls vivent cependant, ils reſpirent, ils croiſſent; et pour trouver le principe de vie, qui eſt en eux, il ne faut, que remonter à l' arrangement, & à l' harmonie de differentes parties, dont ils ſont composés. D'accord: mais ſi un Peripateticien vous entendoit, il éclateroit de rire; peut-etre plus touchè de compaſſion, qu'indigné, vous repondroit il, que les arbres, & tout ce, qui produit, ont une âme vegetative, qui leur donne un commencement de vie. Dites en autant, des Bêtes, tout ce, qui donne ce commencement de vie, eſt, ou une ame diſtinćte de l' arrangement des parties materielles, ou la matiere elle même la plus épurée, que Gaſſendi appelle = *Flamulam electi Sangvinis* = les parties les plus deliées du ſang, ou enfin la configuration, & la juſte diſtribution de ces particules: mais jamais on ne dira, comme vous avancez aux dépens du bon ſens, que c' eſt la vertu de produire, vertu que vous ſoutenez d' ailleurs êtrangere, empruntée. Voulez-vous vous en convaincre? conſultez les Philoſophes, je ne dis pas les plus habiles, mais les plus communs, ils vous diront, qu' il n' y a

point

point d' autre principe de vie, que celui que je viens d' établir; car ſans lui il eſt impoſſible à chaque corps de vivre. Mais ſuivons le raiſonement, que nous avons commencé; & faites attention à ce que je vais ajouter. Lorſque l'on traite une queſtion, ſur la quelle les Sçavans ſont depuis long tems partagés, on employe, pour ne pas paroître embraſſer trop légerement un parti préferablement à l' autre, on employe, dis-je, des termes reçus, les plus generaux, & qui conviennent neceſſairement au ſyſtême, qu' on veut établir. Venons donc au fait. Vous appellerez principe de vie, ou une ame diſtingvée du corps, comme le penſent aujourdhui la plus-part des Philoſophes, ou la matiere la plus épurée, ou enfin la delicateſse des organes, la diſpoſition des parties du corps: prenez vôtre parti: je vous en laiſse la liberté; Mais quand vous ſerez determiné, attribuez cette âme, quellequ'elle ſoit aux Bêtes, à tous les animaux: Je la reconnoîtrai toujours pour le Principe de vie. La derniere des femmelettes ne feroit point embaraſsée ſur cet article; les plus ignorans penſent par tout la deſſus, comme vous pourréz penſer vous même. Vous voilà donc au fait de ce titre, que vous avez cru miſterieux, & équivoque, quoiqu' il ne fût rien moins, que cela; car par les raiſons, que l' on en

C donne

donne dans la ſuite, étant appliqué, & deſtiné à ſignifier l'ame des Bêtes, il eſt ſi à la portée de tout le monde, que perſonne ne peut plus s' y méprendre.

Ceſsez donc Mr de cenſurer des points, qui paſsent votre portée. La Phiſique fournit bien d'autres ſujets plus importans, ſur les quels vous pouviez ſans deshonneur exercer vôtre critique. Du moins vous auriez au lieu d'étaler les commencemens d' étude, que vous avez, contre tant d' illuſtres Savans, qui ont hardiment pouſsé fort loin leurs ſpeculations. Mais je vois ce qui vous a arrêté : le deſſein étoit trop hardi : temoin de votre propre foibleſse vous n'avez osé le concevoir ; & il eſt vrai, que vos efforts, quels qu' ils fuſſent, ne pouvoient aller bien loin : vous n' auriez auſsi produit rien de votre crû ; car outre Boullier, & Dilly, à qui vous prodiguez votre encens, il y a tant de Savans, qui ont traité à fond ces matieres, qu' il ne reſte plus rien à penſer ſoit pour, ſoit contre. Le P. Pardies a effectivement écrit, & aſſez mal, ſur le même ſujet, mais il n' a jamais pensé, comme vous l' avez revé, à embraſſer le ſentiment des Cartheſiens. Pour moi, dans une ſi grande contrarieté d' opinions je me ſerois contenté de voir les Savans en venir aux mains, ſans me declarer pour aucun ; & puisque

vous

vous êtes ſi curieux de ſavoir mes ſentimens: j' aime à conſerver la liberté du choix. Vous auriez pû remarquer, que ma Lettre finit comme les pieces des Pöetes Comiques = *decantata eſt fabula* = Pour peu, que vous euſſiez compris le Latin, vous auriez vu, que j'avois écrit en paſſant bien plus pour m'amuſer, & m'exercer, que pour donner au public des ſentimens, dont je fuſſe perſuadé; & réellement rien ne m' obligeoit à me declarer.

Mais il ne vous plait point de vous rompre la tête avec les Metaphiſiciens; C' eſt pour quoi vous vous dechainez furieuſement contre eux, & toutes leurs idées vous paroiſſent auſsi creuſes qu' inutiles. Qui peut donc vous avoir donné tant de mauvaiſse humeur contre eux? ſans doute un mauvais plaiſant comme Rabelais. Aprenez à connoitre ce medecin; il vouloit fair honneur à ſon art, de tous les arts le plus incertain; il vouloit ſe faire un nom à lui même; il crut en trouver le moyen dans le choix des adverſaires, etranger dans les autres Sciences il vomit beaucoup d' injures contre ceux, qui s'appliquent à la Metaphiſique. Henri Corneille Agrippa penſoit autrefois preciſement comme vous pensez aujourd'hui. L' on croiroit encore l'entendre, ſi vous le faiſiez parler avec plus d' eſprit. Jettons, livrons aux

flammes, abandonnons au feu, disoit- il,les arts, les sciences, & tous les livres, où il en est parlé; Que chacun apprenne, que pour vivre tranquille & heureux, à la maniere des debauchés, il suffit de jouir des bienfaits de la nature, sans s'embarasser, d' où ils nous viennent,sans en rechercher le principe, quoiqu' en pense le Pòéte =

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Personne, que je sçache, n' a representé plus au vif les gens de cette trempe,que Barthelemi Wessel dans l' élegante, & judicieuse reponse, qu' il fit imprimèr à Amsterdam l' An 1750. contre l' ouvrage intitulé = *Reflexiones Philosophicae de origine animalium* = Ce savant Polonois prouve d' une maniere invincible, que votre sentiment, Mr-, conduit droit à l' Athéisme.

Passons outre. Je ne puis vous dissimuler plus long tems l' erreur grossiere, dans la quelle vous êtes tombé. De quel front, je vous prie, avez vous osé avancer, que l' Etre Suprême n' a pas rendu l' homme capable de connoitre plus, que les effets de la nature? Qu' il ne l' a pas destiné à s' élever jusqu' aux principes des choses? Lisez

de fin. L.4. Ciceron = *Persecutus est Aristoteles Animantium omnium ortus, victus, figuras: Theophrastus autem stirpium naturas, omniumquè ferè rerum, quae è terrâ gignuntur, causas, atquè rationes;*

tiones; qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum — Auriez vous assez de fausse complaisance, pour croire, que la sagesse, le vrai savoir ont, fixé chez vous seul leur domicile? Dites moi' quelle diference faudrat-il mettre entre l' homme, & la bête, si celui là tout occupé de ses besoins ne pouvoit pas s' élever jusqu' à la recherche, & à là contemplation des causes, qui y fournissent. Les hommes n' auroient ainsi, selon vous, aucun avantage, n' y prerogative sur les Bêtes, les quelles sçavent ausi distinguer & connoitre ce qui leur est utile, ou necessaire. Dans la recherche des secrets de la nature on ne s' en raporte pas aux sens seuls, par ce qu' ils sont souvent trompeurs; on attend que la raison confirme leurs raports; Et les Philosophes Phisiciens, & Metaphisiciens, lors qu' ils ont mûrement examiné les effets, remontent jusqu' aux premieres causes, qui leur ont donné l' existence. Comment, par ex: se convaincre de l' existence d' un Dieu? N' est ce pas en considerant la beauté, l'ordre, en un mot, les caracteres de la sagesse, qui regnent dans l' assemblage de toutes les parties, qui composent cet Univers? Si l' homme raisonable porte ensuite ses regards sur lui même, s' il reflechit sur le principe, qui le fait penser, peut-il s' empêcher de s' elever jusqu' à la

Divi-

Divinité, dont il tient tous les priviléges, dont il jouit, et ne comprend--il pas l' exiſtence de l' ame, & que c'eſt quelque choſe de Divin, que ce d'où ſortent les pensées. Continuons. Lors que vous voyez le ſoleil rependre peu à peu ſa lumiere ſur la terre, en eclairer tour à tour les differentes parties, vous concluez, que notre Globe, eſt rond, ou d'une figure, aprochante? & ſi quelque Aſtre vient à s' eclipſer, la terre dites vous, alors, ou quelqu'autre corps le derobe à ma vuë. Apercevez vous l'Arc en Ciel remarquable par tant, & de ſi belles couleurs, vous pensez d'abord, & avec raiſon à des rayons, qui, en ſe reflechiſſant, forment cet Arc? Vous vous croiriez trop borné, ſi vous étiez obligé d'en reſter à la premiere connoiſſance. L'homme veut tout connoître; & il eſt capable de beaucoup; le Createur a ſoumis le monde entier à ſa raiſon: *Tradidit mundum cogitationibus eorum.* Examinez maintenant, ſi l' homme sensé peut ſoutenir, qu'il n'eſt deſtiné, qu' à connoître les effets, & qu'il eſt incapable d'en découvrir les cauſes. Voyez, s'il vous ſuffit d'employer les animaux à votre ſervice dans les choſes, aux quelles ils ſont propres. En ce cas là craigniez, de n'avoir plus ſur eux aucun avantage; Car ils ſavent, auſſi bien que vous, eviter ce qui leur eſt contraire, chercher ce qui leur eſt utile.

le. Mais ſans doute vous n'avez enfanté de telles ideés, que pour faire rire: Vous auriez du moins reuſſi vis à vis de tous ceux, qui ont, taut ſoit peut, de lecture.

Venons aux Alouéttes: D'où peut venir le chagrin, avec le quel vous en parlez? ſeroit-ce, parceque j'ai fait mention de celles, qui couvrent les compagnes de Rome, ſans dire mot de celles, que vous avez en Pruſſe? Expliquez vous, je ſuis prêt à vous ſatisfaire. Mais,quelque raiſon, que vous ayez, la chaſſe de ces oiſeaux eſt auſſi admirable, qu'amuſante: on ne peut s'empêcher de remarquer avec êtonnement leurs ruſes, leur induſtrie, leur dexterité; aprez avoir pris pluſieurs fois ce divertiſſement, il me vint en pensée d'eſſayer, ſi l'on pourroit décrire cette chaſſe en beau Latin.

C'eſt une langue, qui vous plait; Jl eſt facheux, que vôtre modeſtie aille juſqu'à vous empêcher de l'écrire; Pour moi je ne ſais, ſi j'ai reuſſi: Tout ce que je puis vous dire, c'eſt, que Barthelemi Ricci fit un eſſai pareil ſur le jeu du ballon, & il ſe fit admirer, comme il avoit fait juſqu'alors. Vous aurez vû ſans doute cet habile Auteur, dont le ſtile eſt ſi beau, ſi noble, ſi pur, ſi cependant cet Auteur a aſsez de credit chez vous, pour trouver place dans vôtre bibliotheque.

Tout

Tout ce qui pourroit me laisser la dessus quelque doute, c'est que Pluche seul me paroît vous tenir lieu de Bibliotheque: Vous êtes trop occupé à l' admirer, pour penser à d' autres Auteurs. Je vais vous nommer ceux, qui m'ont précédé, & dont j'ai imité quelques uns sur ce, qui regarde la chasse des oiseaux. Ce sont Thuanus, qui a écrit sur la chasse des Vautours; Pierre Bargée, qui a fait un ouvrage sur la dexterité des oiseaux aquatiques; Rorarius, & Plutarque, qui ont tant parlé de l'industrie des animaux, & vous en fourniront tous autant de fortes exemples, que vous en serez surpris; j'ai deja repeté cela cent fois. A ces Auteurs vous pouvez ajouter Schubertius, Pierre Renschius, Ribovius, & Jenchinus Thomasius, qui à l'exemple de Rorarius, ont soutenu, que les Bêtes étoient douées d'une ame capable de raisonement. Mais je parle à un Beotien: vous n' attendez pas pour juger, que vous soyez au fait. Que faire? vous plaindre, & c'est tout. Vous flattiez-vous d' avoir de moi une Polianthée infinie à la place d'une lettre? Ma foi, je craindrois d'ajouter à mes années, si je devois m'arrêter à toutes les minuties, dont vous avez chargé vôtre critique.

Ce que vous dites des Abeilles vient encore plus à propos: Du moins vous corrigez ici ce que vous

vous aviez avancé plus haut; sans doutte pour m'avertir, que je ne devois pas vous en croire. Je vous obeirai. Un Autheur, disiez vous ailleurs, ne doit donner que du nouveau, du merveillieux: Un titre aussi pompeux, que celui de = *Vigiliæ* = authorise le lecteur à attendre des meditations profondes, des pensées toutes neuves. Mais qu'y a-t-il de plus connû, que la nature des Abeilles? qu'y a-t-il de plus rebattu, que ce sujet? Virgile, Theocrite, & Pline l'ont redit presque jusqu'à l'ennui. Cela est plus ancien, que l'antiquitè même Jl faut dans des pareilles questions suivant les mêmes traces, passer à d'autres, qui ne sont pas connues à chacun. Mais je vois, pourquoi vous vouliez, que je insistasse sur cet Article, & pourquoi vous l'avez rappellé vous même. Vous vouliez nous apprendre d'une maniere tout à fait ingenieuse, & avec beaucoup d'erudition, que les Abeilles sont toutes vierges; auriez vous donc obliè, qu'on explique aux petits Enfans ces vers de Virgile =

Illum adeo placuisse Apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verûm ipsę è folijs natos, & suavibus herbis
Ore legunt, ipsę Regem parvosque Quirites
sufficiunt = Lib: 4. Georg:

D Aprez

Aprez cela qui peut ignorer, que le conducteur des Abeilles est une femelle, & que par consequent la denomination de *Reine* lui convient beaucoup mieux que celle de *Roi*? Vous auriez pû ajouter encore avec Firmicus, que l'Ecrevisse, signe celeste si connu des Astronomes, est aussi une femelle. Mais à quoi toutes ces petites remarques? Mr. de Reaumur aura beau se recrier; on ne cessera pas d' appeller *Roi* le conducteur des Abeilles, on appellera toujours mâle l'Ecrevisse. Nous sommes dans le cas. Combien n'ont pas disputé de notre tems Kôclerus, Lentius, & Petersius avec André Bel, pour faire adjuger à l'Auguste Imperatrice Marie Therese le titre de *Reine*? cependant le droit de la Nation lui a conservè celui de *Roi* d' Hongrie.

Jl vaut mieux finir; car entre les gens sages Vous ne trouverez personne, qni veuille entrer en lice avec vous, puisque vous parlez au hasard sans avoir aucun objet en vuë & lors qu'il s'agit de questions Philosophiques, vous me parlez de tout autres choses. Cependant comme je vous estime plus,que personne, je vous promet Mr. de faire tous mes efforts, pour deraciner cette peste de prejugès, qui font tant de tort au beau sexe. La grande authoritè, & reputation de votre nom exige de moi cette marque de la deference, que

j'ai

j'ai pour vos avis. J'avois cru Mr. que votre plus grand ſçavoir conſiſtoit uniquement dans l'explication des medailles, pour leur aſſigner une epoque juſte, & convenable pour l'uſage, & l'utilitè de l'hiſtoire. Mais je vous trouve egalement versé auſſi dans la Phiſique, en vous entendant fouler aux pieds les inutilités des metaphiſiciens, & je reçois de vous des nouvelles connoiſences, qui ſurpaſſent de beaucoup l' immagination, & la raiſon humaine.

Je vous conſeille cependant en ami de vous donner bien de garde de dire dorenavant à votre grand prejudice au mien, & à celui de tout le Gendre humain, que Dieu l'aimable Createur de l' homme l'ait condemné à croupir dans une honteuſe ignorance de toutes les cauſes. C'eſt la façon de penſer de ceux, qui veulent paſſer pour des Eſprits forts, & ſublimes, les quels cependant l'Jlluſtre, & ſçavant Meyer dans ſa preface appelle Eſprits ignorants, & ſtupids. Enfin ſi vous avez du bon ſens, evitez bien à l'avenir les Impoſteurs, qui vous environnent en grand nombre; Soyez atentif, & ſur vos gardes, ne refuſez pas votre amitié à tout le monde, ne l'accordez pas non plus indifferement de peur qu'ils ne ſe moquent de vous, & ne rient à gorge deployée à nos depens. Evitez les chiquannes, & les chi-

D2 quan-

quanneurs. Je vous eſtime autant, qu'il eſt poſſible de vous eſtimer, & je me moque des autres, qui ſont du nombre de ces ſots, dont le Poete de Florence diſoit.

Gente, à cui ſi fa notte avanti ſera.

Mais laiſſons une fois le badinage, car cela và trop loin. Et d'aillieurs je ſuis occupè à des etudes plus ſerieuſes dont je n'aime pas à etre detourné; car elles m' intereſſent bien plus, que cés bagatelles. Je vous prie cependant Mr. de prendre comme un badinage, & non pas comme une injure, ce que je viens d'ecrire. Je finis avec Martial:

Lib. 4. epigr. ult.

Obe! jam ſatis eſt, obe! libelle.
Iam peruenimus uſq; ad umbilicos,
Tu procedere adhuc, & ire quæris,
Nec ſummâ potes in ſchedâ teneri
Sic, tanquam tibi res peracta non ſit,
Quæ primâ quoque paginâ peracta eſt.
Iam lector queriturque, deficitque,
Iam Librarius hoc & ipſe dixit.
Obe! jam ſatis eſt, obe! libelle.

à Varſovie le 15. Janvier 1752.

VIENNA
Ab Obſidione Libera
Deiparae Magnae Praeſidio
Per JOHANNEM III.
Invictiſſimum Poloniarum
REGEM
Barbaris profligatis
Carmen.

Res cano Turcarum fractas, ubi Thracia bello
Victa, cadaveribus, Viennae ſub moenibus altis,
Et Nomadum Hungaricos foedavit ſanguine campos,
Cùm primùm Auſtriacis ſtetit ardua Montibus, & ſe
Oſtentans Polona Acies gravis irruit hoſti
Deſuper, & latè Syria Agmina circumſpexit.

Haec mihi materies operis. Quo numine Divûm
Scilicet, invictis Heros Sobieſchius armis,
In ſegetem veluti cùm flamma, aut gurgite Torrens
Incidit, Odryſias contrà furit inclytus iras,
Disjecitque Aſiae peſtes, Scythiamque minantem
Excidium Europae cervicibus. O Dea certè
Coelicolûm Regina, calent cui thura merenti,

Et

Et redolet ſacris votiva vaporibus ara,
Alma faue Genitrix Virgo, coeptiſque canentis
Annue, nam Tua res agitur. Tu maxima vires,
Virtutemque animis afflas, unde impia vidit
Barbaries trepidae pallentia cornua Lunae.
Pax erat, & placidos adytis, ariſque trahebat
Relligio ſecura dies. Non caſtra, minaeque
Murorum ingentes, non propugnacula, Divûm
Vota inter, ſuperûmque preces rauco aere tonabant,
Quiſque ſuis tutus laribus. Sic copia dives
Immenſas fundebat opes. Seges horrea ſemper,
Rumpebatque gravis diſtentos uva racemos,
Nec dulces hominum miſcebat buccina ſomnos.
Exarſere odiis Furiae. Subit ira gementem
Ulciſci Regem Umbrarum, qui talia ſecum
Multa querens Stygiae numen juraverat undae,
Audituſque loqui. Superiſne inviſa poteſtas
Num Regni ſatis? aut ſatis eſt deſpectus Avernus?
Num requies datur ulla malis? Potuitne ſuperbus,
Eumenidum & noſtris ſaturari cladibus Aether?
Jam Delphi ſiluere, ſilet Garamanthicus Ammon,
Irriſaeque jacent ſortes, & pulvere foedas
Ortygiae moerent neglecta oracula vittas.
His etiam ſuper inſultat, quaeque horrida fumant
Sulphure regna truci ridet Plutonia faſtu.
Scilicet ut mendax, & ſceptro laetus inani,
Simque Orbi jocus, & plaudenti fabula Coelo?
At

At ruat, & caput hoc detrudat fulmine Olympus,
Fulmine fundamenta Erebi, noctemque resolvat,
Haud animis ausisque cadam. Sanguis meus ite
Ite domos versate odiis, nunc tempus agi res
Nocte olim genitae Eumenides, & crimina belli
(Nam scitis) fraudesque Acheronte effundite ab imo.
Incumbant pelago Nimbi, Discordia terras
Inuehat, Hydra lacus, trepidis atque urbibus errent
Agmina curarum. Non sic, ubi jugera fossor
Eruit, & duri sinuosa volumina ferri
Forte acie versat, colubri per lubrica serpunt
Horrentes squamis, & sibila colla tumentes,
Ut metuenda Erebi imperio parentia Ditis
Monstra abeunt, rapidoque cient maria omnia cursu,
Terrarumque vias, & non tractabile regnum
Aeoliae, Hyppotades ventos ubi carcere frenat.
  Hinc passim malesuada fames, hinc lethifer annus
Arboribus, sterilesque agris inolescere avenae,
Atque effoeta seges mortalibus. Horrida latè
Saevit hyems pelago, nec litoris unda tenet se
Finibus, effusáque madent aspergine nubes.
  At pejora parit Discordia. Civibus urbes
Commovet, arma armis, & pila minantia pilis,
Cognatasque in bella acies. Furor omnia miscet,
Incertumque trahit studia in contraria vulgus.
  Pannoniae, (Pars una Orbis, quae maxima fortes
Educat ad Laudes Animas) metuenda Virago
Otia

Otia ducebat patriis placidiſſima terris.
Haec tum fortè feras agitans in montibus ibat
Phoeniſſae ſimilis, venatricique Dianae,
Tela ferens humeris, ſuraſque induta cothurno.
Utque erat & curſu defeſſa, & caede ferarum
Pumiceâ ſub rupe ſedens tela aſpera multo
Sanguine, & intortos calamos, arcumque polibat.
Ecce autem ante oculos rapido velocior Euro
Saucius infeſtâ,nemora inter, arundine Cervus
Praeterit. Hunc ſequiturq; cohors,& odora canum vis
Coeca per abruptos relegens veſtigia ſaltus.
Haeſit in obtutu Virgo, & jam jamque decorâ
Accipere arma manu,pharetramque & tela parabat.
Tantus amor praedae, & venandi tanta cupido eſt.
Verùm quae Dryadum pulcherrima viſa praeibat,
Ducebatque chorum, velut inter Luna minores
Dum lucet, ſolet eſſe ignes, nam flava capillos,
Glauca oculos, collecta ſinus,& nobilis arcu,
Omnia Dittynnae ſimilis vocemque abitumque,
Adſtitit, attrectanſque manu ſic ore locuta eſt.
Nata Deûm ſoboles,quae Te otia Virgo morantur
Errantem dumeta inter rerumque Tuarum
Immemorem & Regni ? Quae Te hic ingloria paſcit
Cura ? Tuaene atrox animis injuria Gentis
Excidit, & Scythiae, Patriaeque oblita prioris
Colla dabis captiva jugo, quaeque antea crines
Jbas purpureo diademate cincta, ſuperbis

Nunc

Nunc miserũ! Auſtriacis ſervitum matribus ibis?
Getulas igitur palmas, lauroſque videbis,
Urbemque obſeſſam, quam circùm labitur Iſter
Jmperii caput Aſſyrias attollere Lunas,
Quin Tu eadem populorũ animos in foedera jungas,
Servitium abjicias manibuſque ut vincula ſolvas?
Eja age, quandoquidem Fortuna aſpirat, inultum
Haud patere ipſa malũ, cui tempora nulla medentur.
I preme Germanas acies, age litore ab omni
Inviſum Genus, & melioribus utere fatis.
Ni facias nequidquam Arabas, Nomadaſque vocabis
Auxilium rebus. Poſt haec erit irritus auſus,
Aeternusque Labor. Sic fata evanuit. Jm^o
Pannoniae tum corde ingens exaeſtuat ardor
Ulciſci Patriam. Ingeminat, rurſuſque reſurgens
Saevit amor belli. Lacrymae ſuſpiria caedes
Exacuunt animos & fata extrema ſuorum.
His ſuper & monitis Divûm atq; exterrita viſis,
Experiamur ait: ſequimur Te Sancta Dearum,
Quisquis es atque iterum poſitis accingimur armis.
Fata viam invenient. Ceu fax inimica per agros,
Quam putat extinctam Paſtor ſomno obrutus, ignem
Excitat & ſubitis gliſcens vorat arida flammis,
Haud ſecus actutum Virgo ut ſua regna reviſit,
Praecipitatq; moras, & belli incendia miſcet.
Jdem omnes ſimul ardor agit, ſimul omnibus una
Pro Laribus Patriis, pro Libertate futurum

E Prae-

Praeclarum, pulchrumq; mori sententia sedit.
Austriacam interea quae propugnacula cingunt
Imperij dominam convulsa à sedibus, Urbem,
Diruta vulcano dederant superante ruinam.
Aggeribus ruptis munimina, & ardua Cœlo,
Quæ sacra jam steterat turris, quaeque edita summis
Aurea jam fuerant tectis penetralia Régum,
Augustaeq; domûs longa atria adusta jacebant.
Pallor ubiq; & ubiq; dolor; plangoribus Aedes
Undique miscentur miseris, passisque capillis
Femina virque adeunt Templorum limina frustra,
Perque vias tabo semesa cadavera passim
Jntumulata jacent, feralia busta sepultis
Deficiunt, urnaeq; & pallida mortis imago
Augetur Lacrymis & femineo ululatu.
Jnstatui Geticâ irrumpens & fulminat hostis,
Getulosque Arabasque, infrenesque objicit Arci
Marmaridas jacto genus insuperabile telo.
Hinc Asiae tendunt acies, inde Africa pubes,
Et quae Nilus alit, quaeq; agmina jungit Araxes,
Totaque in immensum Libye diffusa ruenti
Immînet, insultatq; Urbi. Quis talia possit,
Dum memorat, cohibere oculos? Jamq; ultima passi
Conciderant Cives, nec spes erat ulla salutis.
Vos Ego coelestes Animae, vos Sydera testor,
Et vidistis enim, trepidusq; exhorruit Aether,
Aspera num similis fortuna pependerit unquam
To-

Totius Europae diſcrimine, Thracia quando
Jmperii caput invaſit, quod ſi inclyta regnat
Urbs auguſta, & adhuc populis, Terrisq; ſuperſtes
Jura dat immenſis, non haec ſine numine Divûm
Stant immota. Manu, nutuq; volentis eunt res,
Qui Coelum, Terraſq; & ſigna micantia torquet.
Hac Dirae potuere tenus. Sat caedibus, irae
Sat ſuperûm, lacrymiſq; datum. Nam protinus alto
Juſſa Fides Arcton tranare per àëra magnum,
Ut mandata ferat Regi, cui Viſtula ſervit
Spumeus, & rapidi veſana Boriſthenis ira.
En quid agit? patriis quâ ſpe terit otia terris?
Quidue animus ſuus ille, & nunquam territa virtus
Cogitat! horrendo fumant incendia bello,
Urbs caput Imperij ruit alto à culmine, ferrum
Jamque ſubit trepidans inflicto vulnere pectus
Jnfandum! miſerae. Effuſus latè omnia verſat
Cimmeriâ de rupe furor. Quid? ſcilicet hoſtem,
Fraudeſq; & Geticae neſcit perjuria Gentis?
Ergo alacres in bella acies, ſuetaſq; triumphis
Expediat, properetq; manus educere caſtris.
Militet, haec ſumma eſt. Et ne mens laeva moretur
Fata movens animos, ancile hoc pectora firmet
Cunctanti, ſolvatq; moras; huic nomen avitum
Chriſtiparae inſcriptum rutilans, huic omnia poſſe
Ipſe dedi. Clypeum radiis, & luce coruſcum
Accipit alma Fides, & ſe Deus occulit umbrâ.

Tempus erat quo blanda quies mollissima serpit
Concubiae noctis media inter sydera, cum se
Primus agit Coelo seq; aequore mergit Eoo
Hesperus, ut Phoebo juga subdita matutino
Praeveniat cursu, revehatq; exordia lucis.
Sarmaticum pressum curis & pondere rerum
Ingenti placidus Martem sopor altus habebat.
Adfuit ecce Fides vultu quo thure vaporat
Sacra litans superis, niveoq; insignis amictu,
Et tacitum aggreditur. Summi Regnator Olympi
Omnipotens, qui regna, vices & temperat Orbis,
Ipse haec ferre jubet. Patriis quid Te otia terris
Degenerem statuunt ? Quònam Tuus ille recessit
Laudis amor? Poteritne impune evertere sedem
Et caput Imperii Gens barbara, Tuq; malorum
Jmmemor heu! tali sub casu ducere somnos?
Egregium verò decus in praeceps ruere Urbem,
Pannoniam incendi, trepidare paventia, nutu
Ipsa suo quae sacra regit, pia moenia Romae;
Interea ista oculis spectas, & inutile ferrum
Ipse geris lateri, nec Te tua gloria, nec Te
Cura mei Pietasq; movet? Non haec fuit olim
Segnities animi, nec virtus parca laboris,
Cum premeres ultra Rhodopen, Haemumq; superbũ
Debellata Asiae fugitivis agmina signis.
Una erat armorum ratio, Divina tueri,
Ulcisci scelera, atque aris arcere profanos.

Ergo

Ergo age, fata vocant, quod si Tibi pectore sensus
Vertuntur varii, neq; adhuc exacta voluntas
Est satis, & fortis spes est incerta futurae,
Respice ad haec. Clypeum retegit,qui veste latebat,
Sydereum. Excitus somno Sobieschius aureis
Miratur radiis laquearia fervere circùm
Attonitus, clypeum vidit stupuitq; repertum.
Exin bella parat, Sonat aerea buccina laté.
*Tum Gepides, Cauchi,Tanaitae & pellibus horrens
Cassubius longêq; minax Littavius hastâ,
Pacinacesque & Mazovii Gens aspera sylvis,
Ascaulesque simul coeunt. Fremit undiqué campus
Quadrupedum hinnitu, setasq; hirsuta, comasque
Agmina praecipitant in bella bipennibus. Jra
Pugnandiq; ardor vires, atq; arma ministrat.
Rex,ubi convenere acies clypeataq; densis
Ordinibus latè patuerunt arua, comanti
Vectus equo, galeâ & Getuli pelle Leonis
Conspicuus numerat turmas, atq; omnia lustrat,
Quemque monens,paucisq;animos his vocibus addit.
Sauromatûm,si qua unquã armis lectissima Pubes,
Si qua armis virtus stetit, & victoria bello,
Nunc opus est ausis. Ardet vicinia,nostris
Finibus heu ! flammae jam proximus aestus oberrat,
Depascitq; agros, & Viennae incendia fumant.
Quodq; magis, Templorum aditus, araeq, cremantur
Totaq; in obscoenos ruitura miserrima ritus
Relligio

* Stanislaus Sarner: annal.

Relligio oſtentat foedatos puluere vultus,
Oſtentat moerens lacrymas, & brachia tendit,
Vosque vocat ſupplex, votisq; & voce precatur.
En quae circumſtent diſcrimina, cernitis, en quae
Non oblita ſui, & veterum Getulia rerum
Impia molitur ſacris. Crebrum undiq; murmur
It Coelo horriſonum,totamq; immane videres
Obſtrepere armorum ſegetem, praerupta freti ceu
Euboici furit irati & circumſonat unda.

Ergo omnis campis exercitus ardet apertis
Praecipitare moras. Primos Jabłonovius inter,
Cui belli moles inerat, famâ inclytus Heros,
Loricâ indutum, & criſtis capita alta coruſcum
Agmen agit. Lateri intrepidus Sienavius haeret,
Corvinusque cruciſque nitet cui numine parma
Laevam Potocius,dextramq; Opalinſcius ardens
Ducit in arma Aciem. Medio Rex conſidet, axe
Qualis in aethereo lucem ſol dividit Orbi.
Ridzinius circùm ſociant,Denoffius, & qui
Deinde tuos Latio decorabit Varmia faſces
Murice, quique tuos freno Sapieha coercet
Littavios nemoroſa, & pigra paludibus ora.
Hiſce alii Proceres, Lubomirius altus avorum
Sangvine, marte ferox Zamoyſcius, & ſacer albâ
Veſte Craci Antiſtes, cui ſunt myſteria curae,
Agglomerant ſeſe comites. Rex ibat, Euntem
Subſequitur manus, & mavortia ſigna ſecundant.
Haec

Haec inter rapidae, visu mirabile, ab alto
Discurrunt per inane pares super agmina pennis
Armigerae Jovis, irato quae fulmina praebent
Aëriae volucres, & vox audita monentis.
Junge Aquilas Aquilis praeeuntibus. Inde viarum
Per diversa volant volucres, atq; altera cautes
Carpathias montésq; super, ceu Pelion Ossae,
Impositos radit, Moravos secat altera colles
Remigio alarum. Ducunt quà jussa sequamur
Sauromatae clamant. Non haec sine numine Divûm
Visa monent. Acies ergo divisa, rigentes
Pars superat nivibus scopulos, atq; ardua summis
Saxa jugis. Pars gramineas per aperta jacentes
Planities animosa premit; meta omnibus una.
Jamque in conspectu fidae propè moenia Thulnae
Exceptum hospitio, sociisq; penatibus Agmen
Sauromatûm Austriacis latè consederat arvis.
Danubius fremit inferius, qui flumina centum
Advehit albus aquâ, & centum mox alluit Urbes
Euxino properans iras submergere Ponto.
Contra elata jugis clivosa cacumina montis,
(Coecius huic nomen) caput inter nubila condunt,
Hostilesque acies media inter tela morantur.
Hinc exaudiri fremitus clangorq; tubarum
Terrificumq; aeris tonitru; poteratq; videri
Tota Asiae illuvies, & quantâ saeviat irâ
Jmpia Barbaries, quantoq; miserrima luctu

Urbs

Urbs malè turritos defendat regia muros.
Arma parat, licét imparibus fortissima signis
Vis Polona, animos mentemq́; & pectora firmat
Relligionis amor. Tanta est reverentia Divûm.
Interea Rex ipse arîs indicit honores,
Thura calent passim, purâq; in veste Sacerdos
Supplicibus Numen votis, atq́; ore precatur.
His rite exactis vires, & corpora curant,
Exacuunt ferrum, nox est data cetera somno.
Et jam bisseno rutilabat Phosphorus ortu
Pulchrior. Augustum visum est in sydere nomen
Ducere purpureum spatioso limite crinem.
Attoniti stupuere, quid haec portenta minentur
Jgnari, quidue astra ferant. Nutantia corda
Triste per augurium Rex ut videt, aere coruscum
Extulit inseruitq́; manu mirabile donum
Delapsum Coelo clypeum, & visa omnia narrat,
Quaeq́; Fides monuit, quaeq́; ingens Rector Olympi
Imperet, & quae sit jussae victoria pugnae.
Virginis agnoscunt Sanctum, & venerabile nomen,
Spes animis iterum fervet. Generosa Juventus
Exultatq́; praeitq́; vias, & in ardua montis
Nititur; Ascensu Rex ut fastigia vicit,
Signa Ducum Procerumq́; manus, atq́; agmina summo
Vertice constiterunt, unde omnia castra videri
Thessala jam poterant. Non sic fremit aequore Pontus,
Cum ruit Aeoliae praeceps de cautibus Auster,
Atto-

Attollitq; cietq; atros caligine fluctus
Et raucum ſtridens Libycas deſpumat arenas,
Odryſium ut patuit vulgus peditumq; Equitumq;
Turba mari ſimilis denſoq; ſimillima nimbo.
O mihi Maeoniâ flueret ſi barbite carmen,
Quo cecinit Trojae cineres, & praelia vates
Stirpis Achillaeae, caedeſque & fortia facta
Grajugenûm, quanto reſonaret Apolline pectus;
Quoq; olim Aeacides, mihi nunc Sobieſchius iret
Aonidum magnus ventura in ſecula plectro.
Ut vidit Polona Acies Syria agmina latè
Et nubem armorum ingentem ſe effundere campis,
Praecipitat, nemorumq; jugis per devia flexis
Jrruit. Haud aliter deſcendere monte Leones,
Cum numeroſa imis armenta errantia cernunt
Vallibus, adſpiceres, curſu & majoribus auſis.
Jnvadunt ſed enim diverſo tramite. Clamor
Undique & horriſonis crepitant tinnitibus aures.
Fit via per Nomadum confuſa cadavera, Thraces
Saepius experti quid poſſit bellica virtus
Sauromatûm trepidare retro & veſtigia ferre.
Jam cedunt properantq; Arabes & inhoſpita plauſtris
Sveta vagis Scythie praedari & vivere rapto,
Jncuſſo fugit acta metu. Jabłonovius inſtat,
Et fruſtra jaculantem arcûs & miſſile ferrum,
Inſequitur. Rapido interea furit altera cornu
Medorum rabies. Arcto Rex magnus agebat
F Ipſe

Ipſe inter primos clypeatas ordine turmas,
Hortaturque volatque ardens ſuccedere pugnae,
Ancipiti dum marte labat. Furit, irruit, enſem
Ingeminatq; rotatque manu. Sine vulnere nulla,
Nulla carent Letho, repetitis ictibus, arma.
Idem omnes ſimul in Nomadas agit ardor, ubiq;
Quadrupedumq: hominumq; jacent, atq; aggere facto
Corpora fuſa aditum impediunt. Praeſentia Regis
Incitat, effervetq; animis magis aemula virtus.
Hic verò Sapieha tuas quis carmine poſſit,
Aut aequare tuas Laudes Opalinſkie, cum Te
Tot circum jaculis crepitarent Memnonis arcus,
Memnonis Aurorae croceo qui venit ab ortu?
Aſt ó cum rapidi foderet calcaribus armos
Impatiens Corvinus equi, media agmina cingunt
Incautum, rapiuntq; hoſtili caede madentem
Spirantemq; minas. Ruit hinc Lubomirius, inde
Potocius teli jactu jam ſaucius ibat,
Vulgaresq; animae plures per vulnera morti
Occubuere. Ferox geminat Getulia vires,
Inſtauratque, velut gelido furit aëre grando.
His ſuper auſa etiam moliri & tendere fraudes
Dirarum furioſa cohors. Dux impia facti
Tiſiphone. Nam qui convexi fornicis arcu
Danubii pons riparum complectitur oras,
Protinus in preceps labat, & compage ſolutâ
Excutit hinc Polonam aciem. Rex ipſe tumenti
Fe-

Fertur aquà. Thracum reboant ululatibus aurae,
Sauromatae trepidare, & retro vertere ſigna.
Sed quid enim ſuperis inferna humanaq; poſſunt
Conſilia obniti? Patuit tum luce coruſcum
Ingenti Odryſios contra ſplendeſcere nomen
Virgineum Coelo,clypeumq; volumina flammae
Conjurata agere, & Syriis extrema minari.
Continuò ſteterunt fluctus, ſublatus aquae mons
Spumeus aſſurgit laevâ. Sic numen amicum
Cum ſociis Regem ſicco praetervehit alueo.
Rurſus in arma Acies, iterumq; in praelia fertur;
Rex primus, veluti pecora inter inertia,ferro
Fulminat, Hircanos circumſtat frigidus horror.
Diffugiunt quòcumq; timor, quòcumque laceſſit
Victoris rabies, trepidae formidine Lunae.
Planities immenſa velut,cum falce comantes
Sternuntur ſegetes, truncis atque oſſibus albet,
It piger Jſter aquis, & foedat ſangvine ripas.
Ergo Urbis reſerant deſueto cardine portas,
Reſpirantq; metu Cives. Juvat aggere foſſas
Viſere praecipites vallorum more cavatas,
Et loca, quae poſitis caſtris obſeſſa tenebat
Barbaries, luſtrare oculis. Exhauſta ſolutos
Exhilarant animos etiam ipſa pericula. Nautae
Ceu cum indignantem ſenſerunt aequoris aeſtum,
Proſpectant latè Oceanum, gaudentq; relicto.
Tunc Erebi coram inſidiae, namque ore pudico

Eumenides poſito, quo jam nemora alta vagantes
Errabant Dryadum ſimiles ſimileſque Dianae,
Infernae patuere canes, puduitq; ſuperbam
Pannoniam potuiſſe Deae ſub imagine falli.
Plauditur. Excipiunt reducem totumque recenti
Victorem Nomadum ſtillantem ſangvine muri.
Jllum omnes Patriae Numen Patremq; ſalutant,
Et domitae Everſorem Aſiae; clamore ſecundo
Compita ſervataeq; domus atque inſonat Aether.
At Tibi magna Parens, cui ſunt mortalia curae,
Cuique datur miſeris propiùs ſuccurrere rebus,
Coelicolûm Regina, onerant Altaria donis
Supplicibus, tituloſq; aevi monumenta futuri,
Nomenque inſcribunt memores hoc carmine. *Soſpes*
Auſtria Virgineae, Spolia haec de Thracibus, Arae.

DE

De Virgine in Coelum assumpta.
Elegia.

Ast ubi mors, furor ille, & inevitabilis arcus
  Cladibus intentus semper & excidio?
Credideras potuisse aeterno cardine postes
  Nostro olim generi claudere Coelicolûm;
Quò procul à Patriis miserum & radiantibus iret
  Sedibus in luctu semper & in lacrymis?
Lex erat hæc irae mortalibus edita, legem
  Sustulit ipse suo Sangvine Divus amor;
Sidereasque fores & Regna fluentia nectar,
  Et nunquam occiduos & sine nube dies
Esse dedit meritis pro munere. Proemia sunt haec
  Virtutis, quibus & se Deus ipse beat.
Deletae hinc subiit poenae clementia, fessis
  Quae facilem vult mortalibus esse viam
Ad nitidos Coeli tractus, ubi Regia Divos
  Fontibus innumeros alluit ambrosiae.
Quod si Corporibus, quibus haec elementa resolvunt
  Compagem, miseris interitumque parant,

Lex

Lex eadem eſt; rerum facit hoc diſcordia, partes
Namque eadem diſcors materies agitat
Jn diverſa fluens, pugnant humentia ſiccis
Frigida cum calidis, & ſua bella cient.
Hinc omnes ſua fata manent. At deſine, non eſt
Vis haec imperii, Parca ſuperba, Tui.
Natura ipſa dolens tam duris caſibus angi
Corpora, conflictu perpetuoque premi,
Aurae particulam ſacrae miſerata reſolvit,
Aeternum laqueis eximit atque animum,
Interque aërios, ubi pax, ubi copia nunquam
Miſcet amaritiem, collocat indigenas.
Neve putes moeſti cineres Tua jura ſepulchri,
Et ſqualentia humi corpora faeda ſitu,
Reſpice ad haec. Clauſit Jeſſaae Virginis urnâ
Jam pridem elato funere membra lapis.
Hinc nitor auguſto, cum Virginis exſpiravit
Vita, abiit vultu purpureusque decor.
Non ſecus, ac tenui quando defloruit ungui,
Pallidus eſt violae deciduusque color.
Aſt age. Coccineo rurſus flos ardet amictu,
Et rediviva ſuo ceſpite olet viola.
Quàm nova gemmanti facies! quàm pulcrior olli
Aucta renaſcenti forma venuſta comae!
Haud aliter Virgo cinerem buſtumque relinquit
Pulcra magis, ſiquidem pulcrior eſſe queat.
Hinc

Hinc Zephyris invecta super, mirabile visu,
Coelituum fertur, nube vehente choros.
Quod si Thesbiten rapuit vapor igneus, & mox
Nusquam terrarum apparuit, huic melior
Conditio, mortis quae ferrea claustra resolvit,
Jllius & sprevit triste supercilium.
Tum sensit, mulier quantus foret una triumphus
Invida mors, & duram ore momordit humum.
Nam veré incessu patuit Dea, Coelica pubes
Quam circùm teneris cantibus agglomerat.
O! adsis trepidis ergo tutela periclis,
O! & praesidium, & dulce decus misero
O! adsis generi Virgo, Sangvis Tuus omnes
Namque sumus, Frater, gnatus & ipse Tuus,
Omnium & Ipsa Parens. Lacerae succurre carinae,
Hiscit enim, pelago bella movente rati.
Undique rauca fremit tempestas, undique latis
Horrendum mugit Vistula gurgitibus.
Scilicet ò quantis insana Boristhenis ira
Motibus in Patrios fervere visa lares,
Atque agere immanes excitas sede catervas
In segetum & populorum excidium rapidas,
Id precor, ut salvis libertas aurea rebus
Consulat, auxilium atque adferat ipsa suis.
Utque annos qui sceptra tenet, cui subditus Albis,
Ultra aevum Pylii protrahat usque senis;

Serius

Serius & cani inficiant albedine crines,
Et veniat tardo curva ſenecta pede;
Donec Natorum ſeries longo ordine faſtos
Impleat & numerum, plurima turba nepos;
Auſtriadûm, cui magna atavis & ſangvine Conjunx
Ipſa ſuum inſpiret cum pietate animum,
Et teneros doceat fumosâ ab imagine partus,
Paçatum imperium Relligione frui.
Si procul hinc rerum diſcordia, ſi procul ingens
Detonet in Scythicum ſaeva procella caput;
Navis in optato ſe tandem litore ſiſtet
Praecipitum ſecura imbrium & Oceani.

AD

Ad Sereniſſimum Poloniarum

REGEM
AUGUSTUM III.

HOc erat in fatis: ut quae TIBI Gloria PRINCEPS,
Sauromatûm in Populos detulit arbitrium,
Et daret Europae Reges, qui Sanguine ab ipſo
Sceptra dein gererent & diadema TUO.
Jure igitur laudum laus haec Tua maxima. REGUM
Undiquè latè orbis quà patet eſſe Patrem.

In Nativitate Sereniſſimi Burgundiae Ducis

REGIORUM PRINCIPUM LUDOVICI DELPHINI ET MARIÆ JOSEPHÆ è Saxoniae Ducibus Filij.

Carmen Genethliacum

JNtonuit Laevum. Niveo ſignanda lapillo,
  Mira futurorum praemonet iſta dies.
Viſa mihi eſt Coelo diſcurrere Fama coruſco,
  Et centum audita eſt clangere Diva tubis.
Huic Comes auratâ Virtus in murice pallâ
  Jbat, & in purâ candida veſte Fides.
Relligio, & Pietas, rapido & Victoria curru,
  Quem circumfuſae leniter axe Chorum
Tranquillae Zephyrorũ Animae Charitesq; praeibãt,
  Colla ſuper paſſis crinibus; atq; pedes
Diſcinctae, paribuſque manus & brachia vittis
  Nexae inſtar Dryadum, cum repetunt Choreas.
Lilia pro lauro: pro Syrmate flammea veſtis
  Sparſa auro, & gemmis fulgida purpureis.
Pax erat intonſae ramo frondentis olivae
  Cincta comas, ſequitur Riſus & alma Pales.

Lux

Lux oculis, Tyrio ſtillabant rore capilli,
Labraque Coeleſti nectaris ambroſiâ.
Haec facies habituſque. Procul Bellona minaci
Ferales taedas, armaque ſaeva manu
Quaſſabat tacito raucùm ſub pectore frendens,
Auſa nihil, juncto foedere amicitiae
Paciſque adſpectu trepidans, quô ſcilicet orbis
Pacatus vultu jam meliore nitet.
Vera monent ſuperi. Sunt haec inſomnia vera,
Quae tulit heſternâ nuncia nocte quies.
Evigilo. Geſtit magno de nomine Regum,
Plaudit & effuſâ Cimbricus Albis aquâ.
Jnterque ſtrepitumque, & laetum murmur aquarum,
AUGUSTUS, LODOIX amne tumente ſonant.
Scilicet Heroum numero novus additus Heros,
Gallia quàm felix provehet Jmperium?
Sive armis, ſeu pace velis protendere nomen;
Sive peregrinas Claſſibus ire vias,
Externisque opibus Rhodanum diteſcere, ripae
Cum gemitu, cogas, & mare velivolum.
Salve cura Deûm Soboles, cui Sangvine venae
Clodiadûm fervent, ingenîoque pari.
Cimbrica magnanimos cui vis inſpirat Avorum
Auſus & veterum grandia facta Ducum.
Salve cura Deûm. Puer, o! cui Regia Mater
Afflat Divini neſcio quid generis.

Jlla ſit Europae praeſtantior Heroinis,
Gallorum ut fiat nobilis hiſtoria.
Jlla ferat fructus Seclorum in Nomen ituros
Aeternum, quâ non altera amabilior.
Jlla ſuos Niobe numerô foecundior, aut Quos
Ortygiae geminos Delia iam peperit,
Jnvideat nunquam. Satis eſt felicior ortu
Unius. Hoc uno praeſtat honore magis.
Hinc ſacra poſteritas veniet longo ordine Regum;
Semper ab irriguo Lilia fonte bibent.
Jnterea dum fauſta precans haec praecinit Albis
Exiliens rapidis imperioſus aquis;
Sequana ſpumoſo rorans caput extulit alvêo,
Et dedit haec rauco praeſcia verba ſono.
Incipe parve Puer riſu cognoſcere Matrem,
Incipe jam teneras noſcere blanditias.
Cùmque Tibi auratas procumbens Gallia cunas
Verſabit trepidâ, tam metuenda, manu;
Non Jdam, non furta Jovis, raptamque Pelaſgis
Tyndariden, fraudem nec canat Jnachidos.
Magna decent fortes. Et ſi lallare cupido eſt,
Balba ſonent labiis Nomina magna Tuis.
Scipiadas memora, memora pugnacis Achillei
Arma, acies, palmas, Hectoreumque caput.
Et ne barbaricis aſſueſcant vocibus ora,
Gallorum Proavos nominet Jpſe ſuos;

Henri-

Henricos veteresque Duces, quos maximus olim
Terrarum genuit Carolus Jmperio.
Hos repetat teneris infans & facta labellis,
Et cum lacte Heroum exprimat Jlle animam.
Quòdſi forté aderit poſitis Avus inclytus armis,
Et blandâ arridens plauſerit Jlle manu,
Plaude Puer, ſed enim Regem attrectare memento,
Cujus velivolum pendet ab ore ſalum;
Cujus ab Jmperio Tellus, quà terminat orbem,
Quàque ſuis regitur pendula cardinibus,
Frena habet & rerum molimina, & ardua fati
Semper & intrepidi praelia Martis eunt.
Qui trans Herculeas victricia Signa columnas
Protulit, arbitrium ſuppoſuitque maris.
Haec meminiſſe juvat. Tua ſunt haec omina Princeps,
Queis iterum Terris aurea Secla fluent.
Secula, quae fueruut Saturni tempore, plenis
Horrea cum premeret frugibus arcta Ceres;
Lentaque cognatas vitis conſcenderet ulmos,
Et matura daret dulcia vina cadis.
Tunc poterant tumidae foetuque & lacte vagari
Jncuſtoditae laeta per arva Boves.
Tum poterat Divûm voti reus Jndica ad aras
Certatim Sanctis urere thura focis,
Albaque purpureis amarantis texere Paſtor
Lilia ſecuros compoſitura lares.

Haec

Hae Tibi erunt artes, haec ſint primordia vitae;
Hiſce Puer nobis naſceris auſpiciis.
Parcere ſi victis ſatagas, pacemque tueri,
Hoſtiles Animas & premere imperio.
Hic finis fandi. Clamârunt undique Nymphae,
Jpſe etiam tumidis Viſtula plauſit aquis.
Plauſibus arridens tum Sequana rurſus ad imos
Deſcendit latices, occuluitque caput.

Ad Celsissimû & Reverendissimû S.R.I. Principem

ADAMUM STANISLAUM

à Grabowo

Varmiensium Episcopum

Terrarum Prussiæ Præsidem.

In Encaeniis

Ecclesiae nuper ab Ipso magnificè extructae.

DEOQUE

In honorem SS. Christi Martyrum STANISLAI Episcopi

Et CATHARINAE Virginis Sacrae.

M. DCC. LI.

Carmen Elegiacum.

ADspicis? augustum surgit de marmore Templum:
  Hoc deerat decori, Varmia pulchra, tuo.
Arboreum fuerat, sectâ fuit arbore fornix,
  Totaque jam sacrae fagina tigna domûs
Tecta imbres pluviasque Hyadas rimosa bibebant,
  Et malè praecipites concha vehebat aquas.
Et ferrugineo stridebant cardine postes,
  Et coeco in foribus tramite limen erat.
Sedula ubi tenues suspendere aranea telas,
  Nidifico & foetus Vere suevit avis.
Ast modò quae facies aditum ,qnae pompa lacunar,
  Quaeve patens decorat forma nitorque gradûs?
Area quàm latis producitur intervallis?
  Cui favet umbriferis arbor opaca comis.
Ingredere,atque oculis circumspice.Ut omnia rident,

Ara,

Ara ſolum paries ſtrata, ſuperque tholus.
Ut Parius, viridiſque lapis veſtigia ſignat,
Et ſacra limitibus myſtica marmoreis
Dividit; ut vulgus longè procul inde profanum
Rite colat ſanctum, corde miniſterium.
Haec ſubeunt oculos. At quàm majora ſuperſunt
Ornatura ſacros hìc monumenta lares.
Hinc CATHARIS, cui virgineum ſociata pudorem
Alma coronavit purpura martyrio.
Inde Petrovini cineres qui voce ſepultos
Excivit tumulo, Gloria Sarmatici
Jmperij ANTISTES, Terris mirabile nomen;
Cui peperit palmas intemerata fides
Rege ſub impuro: duodena ſubinde Senatûs
Conſpicienda aderunt Lumina Apoſtolici,
Artificum tabulis ſpirantia nomina pictis,
Argumenta operis delineata manu.
Singula quid referam ? revocant Encaenia, feſtis
Nam circùm rutilans ignibus aura tonat.
Praecingit verbena fores, & adorea miſtis
Floribus, auſpicio jam meliore nitet.
Jt Coelo vapor ad ſuperos, dum thuris acerra
Fumat, & in morem fluctuat Oceani.
Interea divina fluunt opobalſama, palmis
Supplicibus geminat Verna, clienſque preces.
O ! adſis tutela ingens, Regnator Olympi,
Votaque reſpicias, quae pia turba facit.

Sci-

Scilicet aeterno ſerves ut numine ſedes,
Et procul hinc tonitru flamma coruſca fremat.
Ut rabidae hoſtiles procul hinc clamoribus irae,
Et raucum Coelo qui tonat imbre, Notus,
Cladesque, & latè metuenda incendia campis
Hinc abeant ſaxi trans juga Caucaſei.
Cumque Tuas fletus miſerorum obſederit Aras
Multa gemens ſcelerum flagitia & maculas,
Flexanimae ut redimant culpas, & fulminis iram
Excutiant lacrymae, dejiciantque manu.
Denique votorum haec ſumma eſt, GRABOVIUS
Quique ſacrum ſtatuit relligione locum, (Aedem,
Aeternum Paſtor famâ victurus in aevum,
Cujus ope haec moles tam pretioſa manet,
Incolumis, quin longa ferat diſpendia vitae,
Neſtoreos aequet praetereatque dies.
Hinc erit, ut felix placidum Tibi, VARMIA, Coelũ
Rideat, & nectar fonte perenne fluat.
Hinc erit, ut ſuperis honor, & Tibi gratia creſcat,
Munificâ ſemper Principis aucta manu.

H   Ad

Ad Praeclariſſimam & Excellentiſſimam
MASOVIAE PALATINAM
CONSTANTIAM COMITEM
PONIATOVIAM NATAM
PRINCIPEM
CZARTORYSKIAM

ELEGIA

SI qua fides Vati, Deus eſt, quo incendimur, igne
  Jllius & ſacro pectora noſtra calent.
Mens, ubi Coeleſtis divinitus incidit ardor,
  Aeſtuat, & carmen ſpiritus intus agit.
Quo memorat cauſas, quo fata recondita, & orbis
  Quae circum rapiunt ima,ſuperna, vices.
Unde fluant amnes, qui ſit maris aeſtus aquarum,
  Quaeque tegant puram nubila Saepe diem,
Et ferrugineae quae ſit defectio Lunae,
  Et qui ſit rutilo fulminis axe fragor.
Omnia pervadit rerum myſteria Vates,
  Omnia ſunt oculis conſpicienda ſuis.
Nec latet arcanus, quo ſe mortalibus, ordo
  Adjiciunt animae, corporibusque latent.
Nam redit aeternus variato nomine ſemper
  Spiritus, omnivoli! jure premente Jovis.

Et

Et longaeva iterum remigrans in tempora, cursu,
    Jn domibus ſpirat purior usque novis.
Hinc Matronarum cecinit quae maxima centum
    Fama tubis forti grandia facta manu,
Mox etiam longo poſt tempore, ſera reviſunt
    Secula, mutatâ nominis hiſtoriâ.
Et quae Penelope Conjunx fidiſſima Ulyſſei,
    Et quae Dardanio jam fuit ante Duci
Jntercepta metu fugiens, dilapſa Creuſa,
    Cum ſtreperet flammis proximus Ucalegon;
Jlla eadem quae olim, celebrata Veturia, Gnati
    Arcuit à Patrio bella nefanda lare,
Et Caeſar, magnusque idem Pompejus, & qui
    Claruit Aeacides, Hannibal, atque Cato,
Nunc animant alios artus & corpora formis,
    Atque alios edunt, ore loquente, ſonos.
Et licet aut fortuna minor, vel grandior adſit,
    Cor eadem virtus, ingeniumque fovet.
Ergo age, quae priſcas memoravit fabula, non eſt
    Fabula de rebus, Femina Magna, Tuis.
Jlla animi, praeſtas quâ, vis, & ſpiritus ille,
    Quo ſapis invicto major Amazonidûm,
Divinum nitet, & veteres Heroidas aequat,
    Provocat & Graias Romuleasque Nurus.
Nota cano. Vel enim latè circumſpicis orbem,
    Vel quas ſol rapidus currit in axe vias;

Quaeque per immenſas coeunt maria omnia terras,
Et quae velivolâ puppe ſecantur, aquas.
Singula Tu memoras, tractusque,& nomina Gentis,
Et numeras ſcopulos & vada caeca vides.
Eſſe quid hoc dicam? niſi quod pia Numina pridem
Mnemosynen venis inſeruêre Tuis.
Et dederunt, quâ Nilus eat de rupe, latentes
Cum movet Aethiopum, ſcire, per ima lacus;
Quà Simois, Xantusque ruens praeterfluat amnis;
Quâve Padus conchâ, quâve feratur Arar.
At ſi longaevos repetis, Conſtantia, mores,
Et Regum narras, ingenioſa, vices;
Quae rerum ſeries? qualis Tibi naſcitur Ordo?
Quàm veniunt riguo fonte Loquentis opes?
Sint licet Europae, atque Aſiae penè obruta rerum
Principia, & tenebris caeca ſepulta ſuis,
Aſt te nulla latent, filôque ab origine texis
Ubere, quae immemores occuluêre Patres.
Medorum ut Perſae, utrorumque ut Graecia vicit,
Quod mox obtinuit Romulus Jmperium;
Jmperium, Oceani fuerunt cui Coerula fines,
Cuique fuit Coelô terminus ipſa dies.
Praeterea ſi bella mari, ſi praelia terris
Orsa doces pugili ſaepius acta manu;
Nullum diſcrimen te praeterit, atque locorum
Facta ubi ſit clades, lacryma nulla fugit.
Ther-

Thermopilas Marathonẽ, & ſparſas ſangvine Cannas,
Dejecit quando Roma ſuperba caput,
Si referas, atque hiſce pares, Conſtantia, lauros,
Quarum Sarmaticis parta trophaea jugis
Jn memores ibunt aeterni temporis annos,
Quam purus facili defluit ore labor?
Non ſecus Harpalice, ſi quando horrentia Thracum
Expoſuit certis bella cruenta modis;
Cumque fugâ celerem curſu praeverteret Hebrum,
Centauros potuit iam meminiſſe ſuos.
Aut quae bellatrix Volſcâ de Gente, ſuperbo
Auxilium Turno, magna Camilla tulit,
Pulchrius, ut flebat trepidans Lavinia, poſſet
Dicere, utri metuat, neſcia Virgo Duci.
Haec de Te Boreas, haec de Te praedicat Auſter,
Haec augent titulos, Femina magna, Tuos.
Unde novas animae, variato corpore, formas
Quis neget aeternos vivere poſſe dies?
Jnque Tuos migraſſe ſinus, vel Apolline natam,
Aut quae Palmirae Marte timenda fuit?
Aut quae jam Lybici, Marpeſae filia, bello,
Auſa eſt Alcidis ſuſtinuiſſe manus?
Vel quae magnanimos peperit Cornelia Gracchos
Clara triumphali nomine Scipiadûm.
Auguror. Jlla Tuo quae nata eſt ſangvine proles,
Sangvine, quem Regum vena perennis agit,
Si

Si ſimilis fueritque Tui, vel Patris Imago,
Heroum haud deerit Semideûmque Genus,
Quorum vis animi,ceu jam Chironis Achilles,
Formatur monitis eliciturque Tuis.
Dî faveant votis, Patriae ſpem vota ſecundent,
Conveniens famae ſors erit iſta Tuae.

NOCTIUM SARMATICARUM VIGILIÆ.

Dicere multa grave est sapientem apud insipientes.

Ex Theognide.

STANISLAO. COMITI. PONIATOVIO.
GENTIS. CIOLEK
VITELLIAE. SCILICET. JNTER. ITALAS
PRAECLARISSIMAE
LONGA. DERIVATIONE. CONSPICUO
EQUITI. REGIAE. AQUILAE. ALBAE. TORQUATO
ET. MASOVIAE. SATRAPAE. PALATINO
VIRO. UNDEQUAQUE. SUMMO
ET. POLONAE. REIPUBL. SPECTATISSIMO
QUI. UTRIUSQUE. FORTUNAE. VICIBUS. MAGNUS
UTRAQUE. PALLADE. MAXIMUS
BELLI. NEMPE. PACISQUE. ARTIBUS
COMMENDATISSIMUS
MAGNORUM. REGUM. ET. PRINCIPUM
ETIAM. BARBARORUM
VIRTUTE. PRUDENTIA. ET. MAGNANIMITATE
AMOREM. SIBI. PROMERUIT
CUJUS. VITAE. RATIO. ADMIRANDA
ET. PLURIMARUM. GENTIUM. HISTORIAM
GESTIS. MAGNIS. ET. MEMORABILIBUS
LOCUPLETAVIT
ET. GRAECIS. NESTOREM. LATINIS. FABIUM
AD. VIVUM. REPRAESENTARET
POST. EUROPAM. ET. ASIAM. FAMA. RECTE
FACTORUM
LATISSIME. PERAGRATAM
PRIMA. NUNC. DIGNITATIS. ET. GLORIAE
JN. REPUBL. SUBSELLIA TENET
UBALDUS. MIGNONIUS. S. P.
EPISTOLAE. PHILOSOPHICAE. A. SE. EDITAE. VINDICIAS
ET. VARIA. CARMINUM. ARGUMENTA
D. D. D. Q.

NOCTIUM SARMATICA-
RUM VIGILIAE.

Plurimùm, dicit, Oratori conferre, Theophrastus, lectionem Poëtarum. Neque immeritò. Namque ab iis, & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus, & omnis decor petitur.

Quint. lib. 10. c. 1. de Copiâ Verb.

VIRIS. MAGNIS. ET SPECTATISSIMIS
CAROLO. MARCHIONI. PINCZOVIENSI. GONZAGÆ
MYSZKOWSKIO
SUPREMO. EQUILI. REGNI. PRÆFECTO
ET. INCLYTÆ. METROPOLEOS. CRACOVIENSIS
EPARCHO
IOH. DEINDE. A. PIESKOWASKAŁA
PATRITIO. SENATORI. TOPARCHÆ
ET. SANDOMIRIÆ. SATRAPÆ. PALATINO
UTRIQUE. PRO. MERITIS. ET. DIGNITATE
EQUITI. AQUILÆ. ALBÆ. TORQUATO
AC. DEMUM. HIERONYMO. PINCERNÆ. REGNI
TITULIS.SINGILLATIM.ET.PRÆCIPUIS.HONORIBUS
DECORATIS

FRATRIBUS WIELOPOLSKIIS

A. CONDITA. INSTITUTAQUE. REP.
MAJORUM. SERIE. PRÆCLARORUM
PIETATE. IN. DEUM. FIDE. IN. PATRIAM
AMORE. ERGA. LITERAS. UNIVERSAS
QUARUM.IPSI.APUD.SE.TUTISSIMUM. DOMICILIUM
APERUERUNT
AD.IMMORTALITATEM.NOMINIS.DIMANANTIBUS
UT. NULLA. UNQUAM. OBLIVIO. DELEAT
QUOD. ASPECTU. SERMONE. HUMANITATE
ET. MODESTISSIMIS. MORIBUS. CAPTUS
STATIM. ANIMUM. IN. ADMIRATIONEM
TANTÆ. VIRTUTIS. EREXERIT
UBALDUS. MIGNONIUS. DE. CL. REG. SCH. PIARUM
ORATIONEM. SUAM
DE. POESEOS. ET. POETARUM. STUDIO
TRIBUS. WIELOPOLSKIÆ. GENTIS. LUMINIBUS
D. D. D. Q.

De Poëſeos & Poëtarum ſtudio
Ad Latinitatem comparandam
Neceſſario
Ad Exeteſticum Varmium.

INter humani generis peſtes, quae multae ſunt, Exeteſtice, & graves, & permoleſtae, neſcio, an ulla ſit nequior, magiſque bonis artibus perniciosa, certorum hominum arrogantiâ, qui retroverſo judicio, cum in craſſo aëre, & vervecum patriâ ſint nati, rerum tamen omnium, & praecipuè dirigendarum diſciplinarum magiſterium, ſibi temere, & inſolenter ſumunt. Eos, ubivis locorum occurrant, audies ſtatim de Quintiliano, vel Tullio, ita liberè, & confidenter decernere, ut, ni Drances iſtos ventoſos, acutâ nare odoraveris, credas, vel è Coelo delapſos Antiſtites literarum, vel ex illâ beatiſſimâ veterum copiâ, ſapientiae promos ab Inferis excitatos; ita caperant frontem, & ſupercilium centumvirale ſocraticè, & indignanter circumferunt. Continuò ferulae manum applicant, docentque, quâ ratione tradere, quâ potiùs viâ ſtudia, & literas ordinare, ut ad frugem corrigantur, oporteat. Haec probant, illa obelo expungunt, cerebroſè quidem, ſed graviter, & ſeverè; ac ſi literas, & literatos, eruditorum cenſu, & familiâ liberè ſubmovendi, poteſtatem quodam-

modo delegatam à Diis habeant. Horum ſermonibus, ſeu potiùs colluvie verborum teterrimâ, Gymnaſia noſtra carpuntur, quaſi nos inutiliter Adoleſcentes in arte metricâ, pangendiſque carminibus deteramus. Cui bono, clamitant, juniorum ingenia in pedum dimenſione, & inanibus Poëtarum fabulis evolvendis, quae nihil habent praeter ſonoras nugas, & delirantium ſomnia, torquere? Quin hiſce abjectis crepundiis, ad ſolidam eruditionem, atque frugiferam enituntur? Quin potius in Oratoribus, & Hiſtoricis habitant? Non id reip. intereſt, fabulatoribus abundare. Intereſt verò maximè, eloquentes habere, & graves, & ſententioſos, ſummiſque magiſtratibus viros idoneos, qui de legibus ſcitè, & patriis moribus, inſtitutiſque reſpondeant. Quid ergo Poëtice? Quid Poëtarum lectio? Quid de vocis ſono profuerit, & modulis cogitare, jacturâ temporis, tam deplorandâ, ut bona aetas penè integra, quae rapidâ celeritate, ad graviora manaret, in miſero, & poenitendo ſyllabarum aucupio detineatur? Haec, & hujuſmodi ſunt, Exeteſtice, quae Catones iſti ocreati, omnium auribus inſuſurrant. Haec olim, cùm politioris literaturae, me ducem florentiſſimae juventuti præberi contigit, mirum eſt, quàm vehementer cruciaverint. Me quidem latet, numquid Tribules tui hac inſaniâ jactentur. Verumtamen, aut ego ſomnio, aut certè ſubvereor, ut quâ ceteri contagione laborant, ne & ipſi tabeant. Sunt enim & aſperi, & monitoribus ſubmoroſi, ſibique inaniter

de

de omnigenâ rerum ſcientiâ plaudunt; quamobrem pertinaciùs in praejudiciis, & praeconceptis opinionibus obdureſcunt. Illud autem perſuaſiſſimum mihi eſt; illis haec ſtudia deſpicatui eſſe, aut neglecta, cùm in voculatione verborum, tam praefractè, & ruditer, latinè proferant, ut mihi Syrophaenices loqui, aut Arabes videantur. Et tamen audent de tribunali, ac ſi Minervae honeſtiſſimâ legatione fungantur, de omni doctrina, rerumque captu temere pronunciare. Huic ergo ſtupidae intemperantiae, omnia docendi, cùm multa funditus neſciant, quod eſt tumore quodam paedagogico laborare, ut quâ ratione poſſum, mederi ſtudeam, de Poëtica facultate, quam Dei optimi dono, & munere, à majoribus noſtris accepimus, ea, quae mecum maturâ jamdiu cogitatione ſuſcepi, liberè dicam, ut iſti homines aliquando, qui tantopere Tullium, & Quintilianum, & Ariſtotelem crepant, ſciant viros tales, tantique nominis, & ſapientiae, uberes olim ad hanc metricam diſciplinam adipiſcendam, ſuis laboribus, & vigiliis, fontes aperuiſſe. Sic demum deſinant, hoc divinum inventum, cui tantùm muſae, Gratiaeque tribuerunt, invidiosè traducere, eoſque impudenter invehere, ut literarum, & reip. proditores, qui ejuſmodi ſcientiae partes, in ſtudioſorum eruditione ſuſcipiunt. Duae ſunt ergo praecipuè malevolorum claſſes, qui calumniam in Poëticam jurant. Eorum prima, qui neſciunt, ex ipſo ſapientiae ſinu Poëticam defluxiſſe. Eorum altera, qui con-

tendunt

tendunt, eos ineptire, & deſipere, qui Poëticae operam navant. Illi, cum ceteras cognitiones, pro nihilo putent, quas ad hanc artium nobiliſſimam afferre opus eſt, graviſſimum Poëtae nomen, ob levitatem doctrinae, ut perperam ſuſpicantur, flagitiosè deprimunt, eique caliginem quamdam, & quaſi noctem offundunt. Hi verò, ſtupidè à nobis agi, qui nihil profuturam junioribus diſciplinam tradimus, audacter vociferantur. Utriſque, ſi Diis placet, occurram, atque illud in praeſens, quà ratione, quà exemplis efficiam, ut apertè omnes intelligant = *Poëticae ſtudia, non niſi majoribus literis, artibusque conjuncta, probari poſſe; eademque in ſcholis, magnâ cum rei literariae acceſſione, modò rite atque ordine condoceantur, commodè, & laudabiliter explanari.* Quòd herclè, cum facio, ſi quid minus dignum, minusque moderatum dixero, peto à te, ut ne ignarum putes, aut eſſe me oblitum mei; at enim duntaxat acerbitati animi, inſaniam, ſtuporemque incredibilem harum pecudum, minimè ſuſtinentis, perhumaniter tribuas.

Soleo ſaepe illam veterem planè inconditam, & deſidioſam aetatem recordari ultimam; vix autem poſſum, cùm mihi venit in mentem illius temporis, erumpentibus ſtatim lacrymis temperare, Heu! quàm malè volente genio, priſci illi homines naſcebantur! quàm ſupinâ rerum ignoratione hebeſcebant! quantus erat in rebus, quantus in verbis ſtupor! At quinam, homines tam valde aſperos, & ruſticanos, feritatem abjicere docu-

erunt?

erunt? Poëtae. Quinam Civitates, & oppida, quibus se, à latronibus, & rapinis, à Tigribus, & Pantheris, & Leonibus tuerentur, aedificarunt? Poëtae. Quinam reip. administrandae rationem, judicia, leges, rogationes tradiderunt? Poëtae. Poëtae rem militarem, & qua potissimùm arte instruantur acies, vallo cingantur urbes, librentur tormenta bellica, machinae disponantur. Poëtae rem nauticam, ut vela fiant, anchorae praecidantur, clavus obtorqueatur, & ad clarissimos septentriones, in turbida tempestate vertamur; Poëtae animorum perturbationes, earumque regendarum modum; ut pietas, ut religio, ut constantia, ut fides, ut spes, ut cupiditas excitari, ut furor, ut metus, ut amor, ut iracundia, ut desperatio, ut libido restingui possint, sapientissimè excogitarunt; Poëtae denique, maria, sydera, orbem universum, aptissimis versibus concluserunt. Quo factum est, ut ab ineunte humani generis aevo, usque ad Pherecydem Syrum primum solutae numeris orationis auctorem, nihil omnino extiterit, quod in hac hominum communione, vel ad divinitatis mysteria, vel ad morum compositionem, vel ad notionem naturae, vel ad legum scientiam, vel ad mathematicum pulverem, vel ad Medicas, vel ad Physicas, vel ad Musicas disciplinas pertineret, quod à Poëtis, cujusquemodi illi fuerint, qui illa aetate floruerunt, non doctissimis versibus describeretur. Quae res Poëtis admodum multùm auctoritatis, religionis plurimùm conci-

Cic. Quaest. Acad.

liavit. Quis autem hìc loci affirmaverit, iis, qui tam multa, tam plena sapientiae, tantâque eruditione perfusa modulabantur, solivagam cogitationem, & vacuam fuisse concessam, praesertim, cum Poëta, ne appellari quidem possit, qui spiritum humano vehementiorem, non habeat, & vi quâdam summâ minimè excellat, admirabilitatis excitandae? Enimverò dubitabimus, Exetestice, quemadmodum suis versibus, admirationem moverint, non ii solùm, qui Poëticam primi professi sunt, sed qui subinde ad memoriam, & immortalitatem sunt consecrati, Graeci homines, Latinique quamplures, de quorum laudibus aetas nulla, nullaeque literae conticescunt? Credatne quispiam eos ad tantam doctrinae opinionem, solâ carminis volubilitate, solo concentu syllabarum, & non potius expressâ rerum scientiâ, dicendique amplitudine dimanasse? Res ipsa loquitur, Varmie; neque enim verba, & voces ad mirationem traducunt animos, sed scitè dicta, & sententiosè, & graviter, & mente tincta; quod equidem nemo unquam homo perfecerit, qui se non totum in rerum notiones omnium, & studia, penitus ingurgitaverit.

Nisi verò Principes Epicorum, aut Homerum Graecis divinitus datum, ex quo uno Plutarchus omnem Philosophiae cogitatum, omnia dogmata, omnesque artes defluxisse putat, aut P. Virgilium Latinis concessum, ut, quantum ingenio homo valere possit, Deus patefaceret, & nugivendos, & semi-

& semidoctos, solùmque in numeris, & pedum moderatione versatos, audeamus impudentissimè dicere. Id autem dicant omninò necesse est, qui Poëticam negant oceanum esse disciplinarum, quò illae omnes sic confluunt, ut inde ortum habuerunt; Id, quod Homerus ad vivum repraesentavit, aureâ illâ rerum catenâ, quae ad Coeli verticem alligata, eòdem postea reflectitur, unde profecta est. Quò usque itaque insanient homunculi, nescio qui ex argilla, & luto ficti, ut sine ullo sapientiae apparatu, sine iis literis, quae sunt libero homine dignae, ad scribendum accedant, sibique, ob inanem versiculos profundendi, naturae vim quamdam, & parabilem efficientiam, Poëtae gravissimum nomen assumant, qui longè melius, distento sago, in sublime jactari mererentur? At oculos, Exetestice, huc quaeso intendas. En tibi cum suavi cantiuncula, homo ad ungvem factus, stultus omnium judicio, sed suo valde sapiens, fastidiosus Latinorum, Graecorum ignarus, cum primis tamen, vulgari dictione maximè perpolitus, appetens gloriae, atque avidissimus laudis. Quid tu, musarum delicium, cum tuis istis madentibus cincinnorum fimbriis, & tam bellè purpurissato genarum flore? Habeo, inquit, quos audire vos, & suaviari certè non poenitebit, vernaculos hendecasyllabos, non eos quidem multos, sed planè dulces, & fluidos, ambrosiâ ipsâ, & hymettio melle gratiores. Euge Poëtarum suavissime. Aures omnino vacant. At enim ex quâ huc scholâ produ-

ctus, ades homo tam cultus? Non dubito quin ex Lyceo, vel ex Porticu, vel ex illius doctissimi senis radio, quem vocitant Archimedem; aut saltem Democrito, Cartesiove malueris cum tu operam dare, huc tandem non cantilenam sonantibus verbis inflatam, sed puro, putoque sapientiae succo resperſam afferre properas? Vae capiti, atque aetati meae. Quas tu Porticus, inquit, quos Cartesios, quos Democritos nominasti? Num isthinc Poëticam haurire me jubes? Apage te à me. Pestis te tenet, quae jam pridem in quorumdam invasit animos, sed planè amentium, qui in verba jurant Philosophorum. Suas sibi habeant Physici disputationes, Mathematici suas, ceterique, si qui sunt alii, quos ego dispeream, nisi omnes Antyciram navigare compellerem, ex quorum lectione, praeter mucorem, quem longissimè inhalant, contrahere nihil possis. Audistin' ex tripode vaticinantis hominis impudentiam? Atqui sermo hicce est, Exetestice, haec opinio nonnullorum inveterata, Philosophiam, Mathesim, Geographiam, Criticen, Morum scientiam, syderum, rerumque divinarum cognitionem, aliasque excellentiores disciplinas, Poëticae parum, aut nil prorsus conducere; satis superque esse vernaculi sermonis munditiam, concinnas verborum formulas, salesque argutulos, quibus ad nauseam scatere ineptissimè, illorum carmina, qui sic deblaterant, nostrûm nemo non videt. Quis autem herclè se teneat, quin bilem in nasum conciat? Equidem viros clarissi-

mos

mos, & commendatissimos, Italis Franciscum Petrarcham, Dantem Aligherium Torquatum, Ariostum, Casam, Tansillum, Anglis Popum, Gallis Rassinum, & Cornelium, & Boilaeum, vobis verò Potokium, & Kochanovium, & Twardovium, & Lubomirskium, & ipse omnibus laudo, omnibus praedico, eosque in oculis, & in amplexibus fero. Illud verò perseveranter contendo, neque hos ad Poëticam tam eleganter adipiscendam, sine maxima doctrinarum eruditione valuisse, neque nunc aliquem, nisi fontes adeat disciplinarum valere posse, cum non ex Poëtis Poëtica, sed ex scientiâ rerum universâ expromatur.

Ut enim, cetera omittam, quàm multa Deus bone! facile est, ex locorum, vel temporum ignoratione, peccare? Peccavit Pindarus, qui Mendetem Aegyptiam in praeruptâ maris crepidine collocavit, cùm tota planitiem Praefectura Mendesia teneat. Peccavit Homerus, qui Zephyrum in Graeciam spirare ex Thraciae campestribus affirmavit. Peccavit P. Virgilius, qui Velinos portus, Palinuri voce suos cineres indicantis, indigitavit, cùm tamen Velia, non nisi post annum amplius sexcentesimum, quàm Aeneas in Italiam venit, fuerit excitata. Peccavit Sophocles, qui in Pythiis Orestem migrasse cecinit, cum Pythia, annis, post Orestem penè sexcentis Delphis incoeperit. Peccavit denique & divinus Aligherius, quod Orbis gyrum septem millibus supra quinquaginta milliaria minus definivit. Haec & alia, notâ o-

scitantiae graviter inuruntur; rectè, an secus, nihil ad nos, vel si ad nos, nihil ad hoc tempus; ipsi viderint, qui tales viros in crimen vocant. Quod ad me attinet, illud omnino repeto, quod si homines immortalitate donati, quorum omnia egregia sunt, & perfecta, in re ejusmodi, absurda, & minimè consentanea scriptitasse culpantur, in quot enormes impingant scopulos necesse est, qui sic agunt Pòëtam, ut ne primoribus quidem labris reliquas disciplinas attigerint? Corvos meherclè Pòëtas hoc pacto, & Poetridas Picas, fieri posse non dubito. Itaque ut paucis, laudo castitatem sermonis, sonoram, & nitidam locutionem non improbo; admitto, quibus illustrari poëmata non oportet solùm, sed opus est, charites, & lepores; Virgilium praeterea eos, qui Latina carmina efficiunt, & Flaccum, & Tibullum, & Propertium, & horum similes versare jubeo; Aligherium, Torquatum, Petrarcham, ceterosque Etruscae Musae magistros, etruscè volentibus canere, ceterisque populares suos, volo equidem quàm qui maximè, commendatos. Illud autem semel atque iterum moneo poëticae facultatis percupidos amatores, debere eos omnino, antequam eorum scripta praeclarorum hominum terant, seque ad scribendum adjiciant, sibi peramplum in cognitione majorum disciplinarum, patrimonium conficere, quo instructi possint paratiores ad musas seu vernaculas, seu Latinas accedere, & sanctissimum Poetae nomen pro dignitate

tate honorificè sustinere. Rerum imprimis, verborum deinde solicitudo, eos urgeat. Facile quippe est amictum, ut dictitant, imitari, intima verò animi sensa ad nostros actus traducere, difficillimum. Exemplo sint illi ipsi, quos habent fingendi versûs auctores. Non hi delicatioribus voculis studuerunt modò, aut sententiis in quadrum, & numerum redigendis, sed ex omni doctrinarum scientia pòëmata condiderunt, tanta granditate, & praestantia, ut divino potius afflatu, quàm humana virtute, tam summa, tam exquisita, tam mira fieri posse videantur. Habent ergo Latina in deliciis? habeant maximè; sed Graeca non negligant. Etrusca magis arrident, & materno sermone modulata? Arrideant sanè. Veruntamen Latina non aspernentur. Petrum Metastasium, ut unum afferam, praeter multos, qui hac nostra aetate cothurnis inclaruere, hoc est Tragœdiam Italicam ad miraculum pepigerunt, totum Attico melle manare, Latiique veneres ad se omnes transtulisse, qui sciunt, confitentur; Eos autem viros egregios, quos ego recens honoris caussa nominavi, & Latinorum fuisse, & Graecorum cupidos, & peritos; alios praeterea extitisse, ut Angelus Politianus, Syncerus Sannazarius, Petrus Bembus, Benedictus Varchius, Franciscus Molza, Joannes Casa, qui dubium omnino posteris reliquerunt, cum Latino, Etruscoque sermone mira opera elaboraverint, utro demum ad hanc amplissimam laudem effloruerint, quam sibi maximam,

& im-

& immortalem iis ipſis operibus pepererunt.

Sed jam intelligo, me in hac quaeſtione Exe-teſtice, pro re pauca, pro tua ſollertia, ſatis, pro tempore, nimis etiam multa dixiſſe. Reſtat pars altera, quam deguſtabo leviter, & digitis, ut eſt in verbo, extremis attingam. *Non eſt, quare miſeros adoleſcentes in Poëmatis elucubrandis inutiliter conteramus, qui tandem, cui bono fuerit, ſi Poëtae reip. admoveantur*. O praeclaram peracuti hominis, & de communi ſalute cogitantis querelam! quaſi nos Poëticae ſtudio id unum maximè moliremur, ut Poëtae evaderent adoleſcentes, & non his artibus aditum, ad reliquas diſciplinas, ad eloquentiam, & puritatem ſermonis, & quamdam veluti ſublimitatem, aperiremus. An non hac ipſa ratione, hiſtoria Philoſopho, Philoſophia hiſtorico, juriſprudentia Theologo, Theologia juriſprudenti interdici debeat? Cur enim, ſi Theologum meditaris, hiſtoricum formes, ſi Philoſophum, Juriſprudentem, aut ſi Juriſprudentem, cur Theologum fingas? Nego igitur primùm, illud eſſe conſilii noſtri propoſitum, cum Juvenes in libris Poëtarum, & verſibus conſtruendis exercitos detinemus, ut ſcilicet, in lucem hominum, laureatos Apollines proferamus. Non id fuit in cauſa, quare majores noſtri hanc ſtudiorum, quomodo Graeci dicunt, Oeconomian, in ſcholis ſapientiſſimè conſtituerint, ut nimirum ad rerum agendarum procurationem, carminum conditores effingerentur. Alia fuit ratio praeſtantior, alia

longè

longè diverſa cogitatio, quam iſti homines contentioſi minimè norunt. Quid enim gymnaſia tam multis ubique gentium auditoribus celebrantur? niſi ut latinè ſciant, latinè intelligant, latinè loquantur? Et, ſi, ut latini fiant adoleſcentes, in ludis propemodum conſeneſcunt, qui melius, eos, latinitatem edoceant, quàm qui aureo illo ſeculo floruerunt, Terentius, Plautus, Catullus, Caeſar, Cornelius, Cicero, Virgilius, Horatius, Ovidius, Livius, Salluſtius? Poëtae ergo non minus, quàm qui prorsâ oratione ſcripſerunt, latinum nobis ſermonem, nitore majeſtate, elegantiâ caſtigatiſſimum, atque ornatiſſimum tranſmiſerunt. Quamobrem, quae malum! dementia eſt, eos velle proſcribere, qui, cum ordines ducant, iis ipſis in literis, quas avidiſſimè appetimus, omnium præterea hominum conſenſione, Romanae locutionis, magiſtri, & Principes reputantur? Hìc loci claudicant veteratores, & receptui, ſiquidem poſſent, ut puto, canerent. quippe ajunt ſe non rejicere, atque improbare Poëtarum lectionem, in quibus dictionis puritas aſſervatur; morem dumtaxat illorum carpere, qui Poëticâ adoleſcentes erudiunt, quae jamdiu facultas, doctorum hominum opinione, & judicio, decoxit. Quis iſthaec amplius puerilia vel legat, vel ſi legat, non nauci faciat, cum tot ampliſſimae diſciplinae ſint, quibus animum adjiciamus, nec inutiles prorſus, nec indotatae. His omnino vacare, has totis viribus perſequi, abſque eò quòd ad ineptias, & nugas adhinniat, noſtra civi-

tas debet. Transegisse negocium putat se, gravis auctor Aristophanes, credo, aliquis, cum nobis, ne dum legendos, sed inaurandos etiam, & suaviandos esse Poëtas, ad aures clamitat, Latinitatem ex ipsis libandam, ceterum edoceri, sibi, Poëticam, non placere.

At cognosce, Exetestice, ingenium perspicacissimi hominis, qui album, atrumque non internoscit. Latinam Linguam infundi adolescentibus omnino praecipit, negat fieri versus, quibus illa commodiùs, non in aures, sed in animos instillatur. Mihi verò longè videtur secus. Quid enim est tandem hoc discere Latinitatem, quod hi tantopere inculcant, nisi lautam sibi, & magnificam verborum supellectilem comparare, non planè vulgarem, & horridam, sed nitentem, & splendidam, & ornatam, quâ decorè, non inquinatè, aptè, non temere, literatè, non barbarè, Latina verba faciamus? Id autem, quomodo aut citiùs, aut tenaciùs assequimur, quàm carminibus efficiendis, quae ad sensa expromenda, tam arctum verborum nexum, syllabarumque conspirationem postulant, ut persaepe, ad versum dumtaxat conflandum, innumera debeamus synonyma, idem omnino sonantia, expiscari? quo fit, ut vi, & necessitate quadam coacti, etiam ingratiis, memoriam, mirificâ vocabulorum copiâ locupletemus. Mitto quàm animus excitetur, quàm recalescat, divino Poëticae studio, ut ii non semel, quos brutos, & bardos, & stupidos putabamus, musarum spiritu repente commoti in-

ti in-

ti inflammentur, & caligine excuſsâ efflorefcant, & vigeant, & fruticentur. Mitto rem proſodiacam, quam facilè, & paullatim imbibunt, qui carmina modulantur, in qua qui peccant, ut municipes tui, quàm qui maximè, & cachinnis, & ſannis, cùm verba latina jugulant atypi, & balbi, excipiuntur. Haec Exeteſtice, non ſunt quaeſita ex aliquo occulto genere literarum, ſed ſumpta de medio, & rebus ipſis, de quibus centies experti ſumus. At Poëticâ juvenes effoeminantur, eamque ipſi nequiter ad obſcoena detorquent. Multa praeterea in Poëtis offendimus mollia, lubrica, flagitioſa, quae teneram adhuc aetatem langvidis voluptatibus liquefaciunt, pudoremque naturâ Adoleſcentibus attributum, ſenſim depaſcunt. Agerem equidem Cenſori noſtro jam gratias, qui magiſter factus veteris diſciplinae, gravem nobis religionem injiceret, ſi deplorandam epheborum depravationem Poëticae potius, & non domeſticae majorum inſtitutioni, adſcribendam putarem. Ipſe ego in primis ſua ſibi habere Poëtas, juberem, eoſque omnes tribu movendos, & remis, veliſque fugiendos eſſe contenderem, ſi quidem horum ſubeſſe aliquid ſuſpicarer. Sed vide, quaeſo, ne illa ſit cauſa tam praematurae juvenum impudentiae, quòd mala horum temporum conſuetudo, ſertis pueros, & roſâ redimere ſolet, eiſque cedrum incendit, & promulſidem miſcet, & ad pſaltrias, ad ungventarias, ad choreas, ad equorum magiſtros, ad gladiatores, & laniſtas adducere magis amat,

quàm ſcholis tradere, bonis artibus informandos. Verumtamen, ut tute ſomnias, fac ita eſſe non ſemel. Quid ergo etiam gladios, & arma ex urbibus non prohibemus, quòd hiſce uti latrones, ad vias obſidendas, ad caedes, & rapinas perpetrandas, quotidie cernimus? Cur pingendi, & ei finitimam ſculpendi artem, non ad Cimmerios aut, Lybicos amandamus, quae non verbis, & voculis, ut Poëtae, ſed opere, & manu, impuriſſima monumenta perficiunt, ipſis prope ſenſibus attrectanda? quae quid aliud ſunt, quàm flexanima vitiorum lenocinia, domeſtica virtutis pericula, magiſteria denique impudentiſſimae pravitatis? Ipſas etiam Theologicas, & Philoſophicas diſciplinas, cur ablegandas longiſſimè non edicimus; quibus tam multi perversè cùm abutantur, ſanctiſſima religionis myſteria, pertinaciſſimè oppugnant? Profectò quia, non vitio diſciplinarum, quae honeſtiſſimae ſunt, ſed conclamatae nequitiae hominum perditorum, id vertimus, qui aranearum more, quem ſuccum apes, in mel ſuaviſſimum commutare, nidificando in alvearibus ſtudent, ipſae in virus, & peſtem perniciosiſſimam, transferre ſolent. Porrò haec eſt ſumma concluſionis meae. Si reliquae ſunt extirpandae artes ingenuae, atque explodendae, & Poëticam explodamus, crucique etiam, ſi placet, protinus affigamus. Equidem non repugno. Sin verò reliquae retinendae ſunt omnes; quae tandem invidia eſt, ut artium nobiliſſimam, atque ſanctiſſimam, homines ſeſquibarbari,

pannis

pannis, annis, ſituque obſiti, & ad ravim contentioſi, tamquam album elephantum oderint, atque inſequantur? O praeclaram emendatricem vitae Poëticam, ait Tullius; quid iſti altricem impuritatis appellant? Dictae per carmina ſortes, & vitae monſtrata via eſt, monet Flaccus. Quid iſti carmen, pudoris, morumque tabem funeſtam, & deteſtabilem inſolentiſſimè appellant? Deorum filios, divinus Plato, Poëtas nominat; quos planè Socrates adductus invidiâ, quippe qui Poëticam Philoſophiae praelatam eſſe malè concoqueret, extra anni, ſoliſque vias relegavit. Hi verò perinde, Poëtas eradicandos funditus, vociferantur, & neminem hominem, ex illâ veterum verè, ſapientûm officinâ, Poëticam adamaſſe, probaſſe neminem, clamant. At quàm ſolenniter decipiuntur Deus bone! quàm longè aberrant à veritate! Quod enim genus literatorum unquam fuit, quod, cum graviſſimas diſciplinas profiteretur, Poëticè aliquid ſcribere, non etiam voluerit, & ad ſeveriſſima rerum ſtudia, muſarum quoque delinimenta advocare, quibus ſeria manſuetioribus temperaret? Num philoſophi? At Plato Solonis Atlanticum exornavit. Ariſtoteles elegos ad Eudemum, elegantiſſimè ſcripſit. Titus praeterea Lucretius Carus, Eratoſthenes Cyrenaeus, Marcus Varro, rite gratiis, & Apollini litaverunt. Num Mathematici? At Thales Mileſius, Aratus Solenſis, qui Phaenomena verſibus concinnavit, Tullii adhuc literis vivunt, atque adeo omnium

sermonibus, & auribus celebrantur. Num Medici? At Eudemum, & Heliodorum, & Philonem Tarsensem, & Democratem Servilium, Galenus ipse laudibus magnis, atque amplissimis ad Coelum vehit. Num Theologi? At fuit Apollinaris Syrus cum omni antiquitate comparandus, fuit Lucius Coelius Lactantius Firmianus, fuit Victorinus Afer, is, qui Hieronymum humanioribus instituit, fuit denique Coecilius Cyprianus, & Jo: Damascenus, quorum praeclaris nominibus, jam in album relatis virorum illustrium, qui de Divinitate scribendo, optimè meruerunt Helicon etiam, & Pindus circumsonant, & gloriantur. Sexcenti praeterea sunt, quos memorare non vacat; ut finem faciam, & ad extrema jam currat oratio mea. Exemplorum itaque copiâ, quae magna est, & lautissima, supersedeo, idque eò libentiùs, quò longinqua repetere, necesse minimè videatur; cum tam magna suppetat, id etiam temporis, vis hominum praeclarorum, qui cum sanctioribus disciplinis, Poëtarum studia honestissimè copulant, & cum ceteris ingenio, dignitate, doctrinâ, longissimè praeferantur, facem quoque Poëticae praeferunt, viamque ex omni rerum intelligentiâ, commonstrant. Hos nostri Juvenes, studiorum suorum Duces, habere debent, si velint altissimae facultatis initia, & rationem inspicere, quam non ex triviis, aut circumforaneis Citharedis, sed ex ipsis sapientiae adytis, ex intimis rerum sacrariis, & fontibus derivabunt. Illud primò remini-

miniſcantur, eſſe Poëticam verae virtutis, ad eximia animos cohortantis, magiſtram. Eſſe humanae ſocietatis originem. Eſſe omnis ſcientiae, quae Sapientûm ingenia excolit, & colluſtrat, altricem, nutricemque beatiſſimam. Hinc canere Poëtarum, plerique omnes Graeci *aeidein*, quod idem velet, atque admodum intelligere, apto ad rem exprimendam vocabulo, dictitarunt, eò maximè, quod ſatis uberi cognitione Poëtas excellere oporteat. Tum demum aures occludant, vanis nebulonum ſermunculis blaterantium, inutiliter in ſcholis hanc ſpartam, per miſeros adoleſcentes ornari, qui poſſent maturiùs ad majora trajecti, ſolidioribus facultatibus navare operam, quam in Poëtarum nugamentis, in pedibus moderandis, in verſibus demum moduliſque fingendis, dementiſſimè ludunt. Non enim, etſi multi ſudoris eſt, haud etiam eſt frugi Poëticae ſtudio ingenium excolere, quae ſpiritum naturâ attributum, & vim mentis coeleſtem, quaſi fluctuantibus humorum motibus involutam, explicat, & rerum, verborumque theſaurum locupletiſſimum, ſenſim in animum nil tale cogitantem, importat, quo, ad puriorem latinitatem, atque auream illius ſeculi locutionem informamur, ut ſaepe in aliud intenti, barbarorum ſcoriam paullatim abjiciamus, Romanâque lingvâ, quantum in intermortuo ſermone fieri poteſt, ad illecebram etiam, & delicias, loquamur. Quod, quia animadverterunt viri clariſſimi, Literatorum, qualecumque tandem

genus

genus fuit, nemo unus extitit, qui ſe à muſis abſtinuerit, & hanc ſuaviſſimam ſtudiorum rationem reprehenderit, & erudito homine dignam non reputaverit.

Haec in medio ſunt, Exeteſtice, atque omnibus, qui ſciunt aliquid, coram. Sed enim, niſi rectè, atque ordine ars Poëtica doceatur, oleum perdimus, & arenam, ut ajunt, ſerimus, frugis inde nil penitus relaturi. Auloedi fient, qui Citharoedi eſſe non poſſunt. Quid ergo primùm satagas, ut fruticeſcant, qui in carminibus efficiendis verſantur? Joſephum Scaligerum in manum ſumas, de quinque Poëſeos aetatibus ſcitiſſimè diſſerentem, eumque ſedula meditatione percurras? Hinc ſapor, & elegantia cujuſcumque carminis æſtimabitur, & quâ quiſque modulandi ratione Poëta excelluerit, animadverſione aſſequeris. Suus enim cuique, aut aſperior, aut mollior, aut viridior, aut laxior canendi ſtylus eſt proprius, pro ut ſingulorum ingenia fervent, aut tepore miteſcunt. Quintilianus, qui de omnibus, tum Poëtis, tum oratoribus, tam Latinis, quàm Graecis, defæcato animo, & libero, judicium facit, Virgilium in Epicis, in elegorum queſtubus, & mœrore Tibullum, in Lyricis dumtaxat Horatium, ceteris anteponit. Et ſi Marullus Bizantius, eò ſtultitiae proceſſit, ut de omnibus temere, Latinorum Poëtarum, operibus, Cynico dente, detraxerit, ne mirere; fuit enim, & Graecus, & omnium hominum, qui nati ſunt, poſtremus. Ab hujus exemplo, Carbilius Pictor, al-

ter Zoi-

ter Zoilus, imò Zoili ſimia, ut ille Homerum, ita hic pariter P. Virgilium rodere eſt auſus, ut magnis inimicitiis, & aemulationibus inclareſceret; in quo Phavorino, & Macrobio invidia, & livore furentibus aſſentatur. Hoſce Virgilio-carpos, ut Joviano Pontano dicere placuit, in malum carcerem abire jubeas, & ſi quid contra, Laurentius Valla tuis auribus inſuſurrat, ſcias virum talem, & tantum, calumniandi ſtudio flagraſſe plurimùm; hanc unam eſſe illius maculam, & ignominiam, quâ detersâ, nihil eſt, quod reprehendas, cùm de Latini ſermonis caſtigatione maximè mereatur. Virgilium ergo, & Tibullum, & Flaccum, infra neminem ponas. Eos Auditoribus tuis ad imitandum exhibeas, ut elegantiam, nitorem, & granditatem carminis aſſequantur. Mihi verò Propertii, & Catulli robur, & quaedam quaſi nervoſitas ità perplacet, ut nihil magis. Ex utroque ſtylus planè conflabitur gravis, & ſucci plenus, quin vocum modulis, & tereti illi cantilenae ſerviamus. Perpetua namque, & conſtans numeri penſitatio, & vim ſententiarum, & dignitatem elumbat, & quod deterius puto, fluxiore carminum facilitate, faſtidium parit, perinde ac ſi Muſae morbo caeliaco laborarent. Sed non omnibus datum eſt adire Corinthum. Illud autem ratum, certumque eſt, & Propertium primum ex Italis, Elegiam pepigiſſe, & Catullum, ſummo loco habitum à tota illa veterum perſpicuitate, & ſapientia fuiſſe. Itaque Ovidius chorum ducat in ſcho-

lis, qui non solùm viribus praevalet ad inveniendum, sed inveniendi artifex, ad miraculum ingeniosissimus, praedicatur. Hic, si naturae ad modulandum perfacili temperare, quàm indulgere maluisset, plerisque omnibus palmam, rerum magnitudine, perspicuitate, delectu, praeripuisset. Opus fastorum, & Metamorphoseon virum probat, in eruditioribus, eruditissimum. Id Tyronibus, arbitror praelegendum, ut opportunè ad mythologos investigandos viam sibi muniant expeditissimam, quâ qui carent, nec cubitum in poëticis, nec sesquipedem progredientur. Huic Val. Martialis comes adjungi solet, peracutus quidem, atque alacris, ut Hispanus scilicet, sed frivolus majorem partem, & salibus impurissimis inverecundus. Quare illorum operam vehementer laudo, qui in illud naviter incubuerunt, ut ex Poëtarum procacitatibus, castigatiora colligerent, quò circumscriptis pudoris terminis, melius viridi aetati, ejusque moribus, & modestiae consuleretur. Id Camillus Nicolius praestitit pro suis viribus, quàm diligenter, ex Catullo nempe & Martiali, & Owenio, & Sanazario, & Ausonio, aliisque pluribus, tum antiquis, tum recentioribus delibando, quae acriora sunt, & potiora, & quae tamen de Decemviris non verentur. Si quis autem funditus expiscari velit, & sales acutâ nare discernere, quibus Epigrammatographi, & vitia carpunt, & mordicant, nemo unus est Nicolao Perotto aut sollertior, aut acrior, qui Val. Martialem no-

tis

tis absolutissimis illustravit. Comica etiam, credo, Exetestice, illibata non deseres. Inde enim Poëtis, & Oratoribus, nitor omnis, & elegantia, quâ, musaeum leporem, ut ait Carus, elucubrationibus suis affatim, & diligenter aspergunt. Praeterea quem fugit, quod Aelius Stolo, & Terentius Varro jampridem literis prodiderunt? Musas videlicet, si Latinè loqui voluissent, Plautino sermone, fuisse locuturas. Et tamen hactenus Plautus, & Terentius de principatu contendunt. Sex tantùm fabulas Terentius, Plautus admodum plures condidit, quinque nimirum supra viginti. Aliae quippe ad centum usque, & triginta non Plautinae sunt, sed Plautianae. Terentii scripta, Quintiliano judice, omnium absolutissima, modò intra trimetros constitissent; nam in Comœdia, inquit, maximè claudicamus, incomposito enim pede currunt carmina, & numerorum ratione minimè continentur. Eruditionem tamen, & inventionem, & dispositionem, & gravitatem, & vim comicam, in Plauto magis, quàm in Terentio, sunt qui volunt, mirabiliter eminere. Quamobrem Coelio primus, Plauto secundus, Naevio tertius, Licinio quartus, quintus Attilio, postremus locus Terentio datur. Ubi verò censor ille gravissimus interloquitur Quintilianus, audaciae esset impudentissimae judicium ferre. Sibi ipsi consulant, qui aliter opinantur. Ad rem nostram facit, illud maximè praevidere, quòd, cum ista musarum adyta, & viridaria, sint Tyronibus reclu-

denda, ut instar apicularum, puriores latinitatis flores depascant, ea possit nemo sine ducibus, & conjectoribus, perlustrare. Praestò sunt viri magni, & eruditione praecipui, qui cunctas Comicorum salebras acriter investigarunt. Sed eos puto magis idoneos, & scholis verecundioribus profuturos, qui nuper castigatiores, ex Plauto, Terentio, & Seneca binas à singulis decerptas fabulas explicuerunt, Everardus Audrichius, & Soderinus, quos equidem, non quia Collegae mei sunt, & municipes, sed quia ingeniosè, aptè, & subtiliter, rem acu propemodum tetigerunt, praefero, & laudo. Ex Tragoedia, & Comoedia orta satyra, Latinorum est tota. Romae olim paruit, Romae nunc adhuc retinet domicilium, ut scilicet in patrio solo, ubi natalem habuit, vivat, & consenescat. Momos illo Coelo, & Mastigias, nescio, quis Deus educat, ut nempe fraudes, & maleficia, & ambitus, & invidiae, & calumniae, aliaeque plures obscoenae sordes, quae sanctissimam Civitatem inveherent, procul longissimè propellantur. Lycambes insaniunt, Archilochi latrant. Hoc genus carminis, quod Quint. & Sex. Sectanus, & Guillelminius, tanta cum laude, hac nostra aetate, finxerunt, ita in morem abiit, ut nulla Literatorum hodie celebritas habeatur, sine Cynicâ reprehensione malarum pestium. Lucilius, Persius, & Juvenalis viam praemonstrarunt. Sed Junio Juvenali Lucilii Sales, & acerbitatem, Horatii candorem, & eleganti-

am, Per-

am, Perſii robur, & gravitatem, cuncta ſcilicet decora, Quintilianus attribuit. At haeccine ſatis ſunt, Exeteſtice, ut ad Poëma aggrediamur, ingenia Poëtarum noſſe, & cujuſquemodi genus Poëſeos, naviter attigiſſe? Minimè gentium. Duo praeterea maximè deſiderantur. Primùm, ut digitis, ait Flaccus, & arte calleas modum carminis legitimum perficiendi, ne fortè metrum, halucinantem decipiat. Senſus inſuper auris delicatus, & gnarus, ſine quo latinè canere, & modulari, nequidem Muſae ad elegantiam poſſent. Syllabarum quantitas ergo, etymus, & accentus, à Tyronibus praediſcatur, quem, etſi verius, ex ipſis Poëtarum exemplis, acquiri poſſe contendo, tamen, quòd haec ſit longior, & maturioris intelligentiae, ſciendi ratio, & non niſi aſſiduâ, diuturnâque lectione comparanda, legem metricam ex innumeris, qui literaturam, id eſt Grammaticen explanarunt, ſedulus explicabis. Alvarus, ex pleriſque, qui modò circumferuntur, ſcitiſſimus, eam ingenioſiſſimis verſibus concinnavit. Cui equidem neſcio, quamobrem cavillos aliqui objiciant; figuli nimirum figulo obtrectant, quod nimius fuerit in praeceptis; quod concubiâ nocte involuta elementa Latinitatis tradiderit, quae meherclè, ad veterum ſanè omnium regulam exiguntur. Sed ita eſt in more poſitum, ut nova ſemper magis arrideant, & quemadmodum ſuus etiam ſimiae catulus placet, ſic quiſque ſibi palpet, ſuiſque labo-

ribus plaudi, avidiſſimè cupiat. Ceterùm, non quia obſcura ſunt, aut parerga, quae Alvarus edidit, rejiciuntur; ſed quia cerebrum aliquando noćteſcit Paedagogorum. Crambem porrò recoquunt omnes, & ruta caeſa ruſpantur. Tranſmarinum hominem, & Maderae natum demirari potiùs, quòd Romanae dictionis vim tantam, & penitiſſimam aſſecutus, eam deinde tam funditus expoſuerit, meritò, & jure deberent, modò rem aequi bonique facerent. Nam ſi prolixior, quia nimis navus, ſi fortè acutior, quia nimis doctus, ſiquidem in eruditione, & literis, nimium culpari poſſit, vel acutiſſimae gentis perſpicacitati, unde originem traxit, vel Praeceptori olim ſuo, Leontino ſcilicet Grammaticorum gnariſſimo Caſpari Dragonetto liberè tribuendum, quem virum magnum, Petrus de Valle, in poſtremâ ſuae hiſtoriae paginâ, Romanum Neſtorem honorificentiſſimè appellat, quippe qui viceſimum ſupra ſeculum annum ageret, ubi ipſe Romam, ex longiſſimis peregrinationibus remigravit.

Sed his omiſſis, quae meminiſſe jam ſatis; quàm meliori conſilio uterentur Poëticae praecurſores, ſi quae ſolent pro metro, & phraſibus, & epithetis indagandis, ſtudioſorum manibus expilari, ad limam naviter revocarent, quin uter magis valeat, aut methodo, aut perſpicuitate, confligerent? Sunt ea meherclè nugacia, & exanima, & abortiva, quae titulis jactantiae plenis, in ſcholis circumferuntur. Utinam aliquando, bonae

frugis

ſrugis aliquis, & verè ſapiens, Franciſci Serrae Synonyma ad uſum, captumque ſedulae Juventutis, aptiùs accommodaret; puritatem inde, juxta atque elegantiam, latini carminis abſolutiſſimam compararet. Illud tandem ſupereſt, Exeteſtice, ut, quòd Aulus Gellius jam pridem monuit, certò certiùs animo teneas, majorem nempe rationem, ſonitûs vocum, quem Graeci auphonian dicunt, à Scriptoribus fuiſſe habitam, quàm diſciplinae, & regulae Grammaticorum. *Si aut verſum pàngis*, ait ſapientiſſimus Author, *aut ſolutam orationem ſtruis, aurem tuam interroga, quae quid loco conveniat, dicet.* Aliquando voces nimis exiles ſunt, atque exangves aliquando injucundum, neſcio, quo pacto, & laxiorem ſonitum edunt, aliquando molliùs, & teretiùs, aliquando agreſtiùs, & pingviùs videntur obſtrepere. Quare conſilio, arbitrioque auris eſt opus, quo & Virgilius eſt uſus, ceterique poëtarum elegantiſſimi. Hic autem doleo, Italo, & Gallo, Latinum fieri, facilius eſſe, quàm Scythae; ideo, quia utriusque lingua Latinae affinior, ſuaviùs, & delicatiùs auribus accinit, quarum judicio, Latini ſermonis charites, illecebram, & ſaporem, acrius attingimus, & aeſtimamus. Sed enim non omnis fert omnia Tellus. At Mathias Sarbievius, Flaccum, & Pindarum aemulatur, & Lyricorum Latinorum magniloquentiam propius adſequitur, carminis granditate. Ita quidem; ſed Romae totus Italus, & Latinus eſt factus.

Lib. 13. Noct. Attic. c. 19.

Ergo

Ergo, Exeteſtice, ut finem dicendi faciam; non eſt profectò fabulatorem agere, aut mimum, poëticis artibus erudiri. Non eſt operam ludere, carminibus efficiendis incumbere. Non eſt jejuna, & vacua, & poenitenda, muſarum conſuetudo, & familiaritas Poëtarum. Res eſt plena uberis eruditionis, doctrinae deinde, & ſcientiae, & purae, putaeque dictionis pleniſſima. Id, ſi animis adoleſcentes altiùs immittant, ſi ſaepius, quod vehementer ſuadeo, aſſiduâ meditatione recogitent, ſpero equidem fore, ut qui ad Gymnaſia ventitant bonae indolis Juvenes, bonoque ingenio praediti, cum aetate ineunte jam maturuerint, bene de Patria, bene de Literis univerſis, optimè de Rep. mereantur.

NOCTIUM SARMATICARUM VIGILIAE.

Conserva, Fili mi, praecepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuae.

Prov. 6.

Sanctos Ecclesiasticos Canones, qui à sanctis quatuor Conciliis expositi, & confirmati sunt, vicem legum obtinere ... quos etiam nostrae sequi, non dedignantur leges.

Justin. Novel. 31. §. seu c. 2.
Et Nou. 83. c. 1.

ADAMO. IGNATIO. KOMOROWSKIO
SANCTÆ. GNEZNENSIS. ECCLESIÆ
ARCHIEPISCOPO. METROPOLITÆ
APOSTOLICÆ. SEDIS. LEGATO. NATO
REGNI. POLONIÆ. ET. MAGNI. DUCATUS. LITHVAN.
PRIMATI. PRIMOQUE. PRINCIPI
Plin. in Paneg. * *OMNIA. PARITER. ET. STATIM. FACTO*
UT. NEMPE. NEMINEM. LATERE. POSSET
QUOD. SUIS. IPSE. VIRTUTIBUS
AMPLISSIMAE. IN. REP. DIGNITATI
VELIFICAVERIT
PROPTEREA. SUMMI. REGIS. JUDICIUM
ET. SAPIENTISSIMI. PONTIFICIS. APPROBATIONEM
AB. EOQUE. COLLATA. PURPURATORUM. INSIGNIA
AVITO. SANGVINE. PRUDENTIÆ. MATURITATE
DOCTRINA. CETERISQUE. ANIMI. DOTIBUS
PROMERUERIT
CUI. PLANE. IPSA. ORIS. DIGNITAS. ET. MAJESTAS
AMOREM. ET. VENERATIONEM
CONCILIAT
IN. REGNO. SCILICET. MAXIME. INGENUO
IN. QUO. EODEM. FORO. IISDEMQUE. LEGIBUS
UTITUR. LIBERTAS. ET. PRINCIPATUS
QUIN. ALIQUID. AUT. GRAVITATI. HUMANITAS
AUT. LENITAS. SEVERITATI. ET. MUNIFICENTIA
DETRAXERIT
VIRO. MAGNO. ET. DE. SE. BENEMERENTISSIMO

UBALDUS. MIGNONIUS. DE. CL. REG. SCH. PIARUM
ORATIONEM. SUAM. DE. JURE. ECCLESIÆ. PUBLICO
JURIS. ECCLESIÆ. VINDICI. ET. ASSERTORI
MEMORIÆ. ET. GRATI. ANIMI. CAUSSA

D. D. D.

DE JURE ECCLESIAE PUBLICO
Ad Exeteſticum Varmium.

NEminem ego unum puto eſſe, Exeteſtice, qui publicam populorum felicitatem ignoret, in eo ſitam eſſe, ut aequabili bonarum Legum ratione vigeat, quâ mores ſcilicet ad honeſtatem religione informentur, & vitae commodis propagandis, communione rerum mutuâ, provideatur. Hoc adeò animis à natura inditum eſt, atque inſculptum, ut qui etiam, neque uſu hominum, nec veri meditatione aliquid poſſunt, omnino ſentiant, nullam penitus ſocietatem, nullumque ordinem Civitatis, ſine Legum auctoritate, & praeſidio poſſe conſiſtere. Cum autem haec noſtra mortalitas, duabus veluti partibus coaleſcat, mente in primis, cujus eſt intelligere, & cogitare; itemque concretione corporis, terrenâque natura, ut animalia quaeque, cujus ope, atque opera abſtrahuntur ab omni materiâ ſpecies, noſtriſque contemplationibus objiciuntur; propterea fit, ut neutra harum partium, ſola per ſe, donec vivitur, ſuſtentari, neutra agere, aut etiam pati, ſine alterius veluti conſenſione poſſit. Quam ob rem ad hanc diſſimilium concordiam, & harmoniam con-

fovendam, ne fortè dissidio, & contagione naturæ deteriora appetentis, in diversa mortales abeant, & harum partium quaelibet, ad honestum, & bonum, & decorum, adspiret, divino quodam consilio, rebus humanis est cautum, ut scita Legum plurimarum, tum quae mentis judicium interius dirigunt, tum quae hominis in societate versantis, munia, officia, rationes, ordinant, sint divinitus constituta. Divinitus dico, nam ea singula, quae in alterutro Legum jure jubentur, ad unum dumtaxat aeternae Legis exemplum, ut justa esse possint, omnimodè referuntur, quòd Deus nimirum hominis naturam, hoc potiùs modo, quàm alio agere, & niti maluit. Hinc civilis, & Ecclesiastici juris scientia, & quaedam quasi primordia rerum probè, & rite agendarum. Age nunc, Exetestice, & mecum diligenter perpende, quàm sit frugiferum, quàmque optimae Juventuti non solùm, sed reip. totius bono sit profuturum, argumenti genus hoc grave, atque utriusque potestatis maximum, Imperii scilicet, & Sacerdotii magistratibus accomodatum, de quo subit animum verba facere. Enimverò de Ecclesiae Legibus dicam, non iis utique, quibus Christianorum plebes, quodam veluti tyrocinio, exercentur, sed de toto illo scitorum, & regularum complexu, quem aptè vocant Canonum disciplinam. Hanc, ego sanè, negligere, eorum praecipuè, qui Christi nomine, & professione censentur, posse neminem sentio; Eosque propterea vehementer errare, qui putant Ecclesiae regulas

dumtaxat

dumtaxat ad homines pertinere, qui illius procurationem gerunt. Pertinent eae quidem, non abnuo, atque ita pertinent, ut culpae latae, eos judicandos, constanter asseram, qui Ecclesiae militant, & Theologis vacant, de hac deinde juris intelligentiâ minimùm curant; in qua tamen ea pleraque continentur, quae & hominem Deo sacrum, & Theologum absolutè perficiunt. At illud quoque certo certius est, eamdem hanc disciplinam, ab iis etiam, qui Christianam rempublicam administrant, & juri dicundo, delatis Magistratibus, praeficiuntur, omnino praeteriri non posse, quin ferenda judicia, aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum, iniquè non semel, atque injuriosè habeantur. Quare, quid sit reip. metuendum, ubi Imperii, & Sacerdotii subsellia, hac juris prudentiâ careant, secum ipse reputet unusquisque. Illud utique maximè deplorandum contingat, necesse est, ut perturbato utriusque potestatis ordine, jus suum cuique tribuere, neutra possit; Et fori rabulae, id est tricones, & pecuniarum hirudines, non civium saluti, non religionis integritati consulant, sed humana quaeque, & divina absurdâ rerum ignoratione pessumdent.

Ut haec in patulo sint, Exetestice, hìc statim quaero, quo tandem loco ejusmodi haberes hominem, qui, cum nauticae artis ne quidem prima attigisset, sese nihilominus ducem longissimae peregrinationis, turbulento nimirum Coelo, & mari

minimè

minimè portuoso exhiberet? Quid? Tu ne ita amens, diceres, qui, cùm nec solvere, nec inhibere, nec vela facere, nec clavum regere, neque ad anchoram stare unquam noveris, navitam perinde agere, arroganter praesumis, ac si in navibus incanuisses? Tu ne aquarum reciprocantium immensitatem? Tu ne aestum vorticibus procellosum, & ventorum praecipitem conflictationem evadere, sartis velis remisque confidis! O pecudem, inauditâ quâdam stupiditate insanissimam! Atquí haec sunt ad rem, de qua agitur, Varmie; comparatè enim loquitur oratio mea, & quoniam quid simile, aut etiam par ex dicendis consequitur, ad eos certè respicit, Cleri fucos, qui cum Ecclesiae stipendia mereant, jejuni deinde, atque hospites in canonicis disciplinis, mustellarum villis albentibus, & longis syrmatibus farcinati, aurumque digitis, aut onychen ventilantes, stomachum potiùs, quàm risum movent.

Mare est ineundum immensum, & difficillimum, humana vita, quae, quot Deus bone! perturbationum procellis, aestuque jactatur! incertus cursus, crebra pericula, naufragia multa. Natura ipsa, cupiditatibus diffidentibus, in vitium prona. Vis magna erroris, & voluptatis. Ad sensus capiendos, & perfruendos plurima lenocinia. Quodque in malis nostri generis summum, & praecipuum statuo, prava nocentium hominum, quibus cum vitam agimus, domestica exempla. Hæc instar caprificorum ruderibus adhaerentium, qui-

bus

bus ſenſim domorum parietes, & conſtructiones labefactantur, ad peſtem amplificandam, tantum habent efficacitatis, & roboris, ut nihil magis.

Haec pleraque omnia, quibus animus patet, ſic vitae rationem obſident, ut ni Deus aliquis, aut ſciens morum artifex, facem praeferat, miſer ille affectionum rabie, & procella projectus ad ſaxa, naufragium faciat. Quid autem in tam ancipiti fluctuatione, & curarum intus, foriſque conflictu, humana mens ſtatuat? Ad aequi, bonique artem confugiat neceſſe eſt. Eam ſcilicet diſciplinam, quae Sacris Legibus continetur. Age verò. Si haec eadem Legum ſcientia, quam Deus hominibus indidit, veris deinde notionibus, & legitimâ conſequentium ratione careat, & quod rei caput eſt, ſit eadem ab interpretibus, & explanatoribus imparata, quorum luce ignarae plebes illuminentur, in quantâ obſcuritate, latebra, dubitatione verſabitur mortalium genus? Quàm caecâ inſcitiae caligine adſperſum? Quàm foeda vitiorum colluvie contaminatum? Quod malum omnium maximum, multòque acerbiſſimum, ut opportunè praecaveretur, Eccleſia omnium parens, & docendae virtutis, & veritatis magiſtra divino ſpiritu adflata, ſic rem Chriſti publicam circumſpexit, ut duo propterea continenter praeſtiterit, quibus veluti baſibus, totius religionis, & ſanctitatis cardo inniteretur.

Illud in primis. Quod naturae leges, Deique naturae opificis voces intimè in noſtris animis

personantes, quò rectè atque ordine exciperentur, quàm plurima vel summorum Pontificum, vel Conciliorum, ubi res Ecclesiae, morumque publica postulavit, lata judicia sapienter edidit, quae nimirum forent veluti faces accensae, ad vitae cursum periculosum, & difficillimum commonstrandum. Alterum, ut vindices, assertoresque Sacrarum Legum, viros praecipuos dedicaret, qui de rebus divinis, & sanctitatibus responderent. Eos scilicet, quos ex evangelica disciplina, custodes, & susceptores depositae religionis, ipsius Dei monentis, atque jubentis oracula voluerunt. Facile hinc erit arguere, quàm multum peccare eos putandum sit, qui cùm Ecclesiae albo se adscribi maluerint, Ecclesiae deinde regulas, & judicia, turpissimè ignorant, tantique faciunt Canonici juris scientiam, quanti vix facerent è trivio fabulas, & deliria Poëtarum. Atquì ea de Coelo delapsa est, Deumque optimum, & sapientissimum authorem habet, qui primus regulas, & jura praescripsit, ad quorum normam, sanctè homines, & laudabiliter vitam componerent, appetitionibus temperarent, sesque ad summi illius boni adeptionem, repudiatis illecebris, quae corpore circumscribuntur, instruerent. Atquì coetus Ecclesiae universus, & qui Coelo proximam dignitatem, vicariâ Christi potestate fungentes, obtinuerunt, haec eadem jura, legumque divinarum notiones ingenitas, decretis sanctissimis explicuerunt, propterea, quia, non ita aptè, appositèque homines

c. 2. de privil. in 6.

scirent

ſcirent, vel id animi ſtupor, & perverſitas pareret, vel affectionum praevaricatio, legis finem, modumque, ſingulis quibuſque caſibus accommodare. Huc, Exeteſtice, res tota pertinet. Nam quò tandem hic legum tantus, & tam multiplex apparatus, ſi qui, ut vigiles, & cuſtodes, toti huic morum negocio praeſunt, omnium deinde inperitiſſimi fuerint? nec lumina Eccleſiae, nec divinitatis magiſtri, ſed maculae, & corruptores habeantur? Mortalium animos in tam nubilâ, & turbulentâ humanae vitae ratione, egentes conſilio, atque optimorum moderatorum excubias, ad cavenda pericula, deſiderante, nae in aeſtu praecipuè praepoſterarum opinionum, aget praecipites, vel amor ſui, vel ſaeva hominum poſtremorum, & praevaricantium inſania. Nemo quippe omnium eſt, qui non videat, vim legibus nullam, nullam auctoritatem, nullum pondus, momentumque nullum ineſſe poſſe, ad multitudinem ſuis quodammodo ſeptis, & regionibus continendam, ſi careat vivendi magiſtris, & cenſoribus, quorum doctrinâ, curâque tum religio, tum civitas temperetur.

Haec, ſi certa ſunt penitus, & perſpecta, ò vos herclè electiſſimos Chriſtianae rei anteſignanos, ſacrorum Antiſtites, & myſteriorum diribitores, quorum fidei, poteſtatique commiſſum, & creditum eſt totius religionis negocium, quàm ſanctam in terris, quàm prope divinam Perſonam agitis, in quorum manibus ſacrarium divinitatis, animo-

rum cultura, spes futurorum, Christiani gregis felicitas collocatur! Vos duces, vos satores, auctoresque rectè vivendi, Gens omnis, quà latè crucis Imperium patet, vehementer spectat, in vos intuetur, vestrae doctrinae pascuis adolescit, alitur, educatur, viget. Quo fit omninò, ut una voce, veterem illam gravissimam, atque atrocissimam nobis querelam, trivia ipsa quotidie occinant; ad interitum nempe ruere Christianae Ethicae laudem, dignitatemque à Christo capite derivatam, ex illorum ignavia, quorum interest maximè, Ecclesiae partes suscipere, nomenque illius, & ritus, & instituta etiam cum vitae periculo promulgare. Hìc verò nihil attinet quaerere, jure ne, vel injuriâ querela ista circumferatur. Fingamus haec, ex malevolorum, si placet, obtrectatione vulgari, qui & maledicè, & contumeliosè detrahere de nobis student. Sit effraena cupiditas, nostri nominis famam, honoremque depeculandi. Quid si homines Deo sacri, dedicatique Christianae rei procurandae, ignaviâ liquescerent, feriati, & desides pergraecarentur, deque arcis, & saccis implendis perpetuò cogitantes, in summa legum Ecclesiae ignoratione, & caligine versarentur? Nunquid stare religio posset? aut qui sibi semitam non sapit, viam alteri commonstrare? Ad hanc verò indolem, & naturam eximiam veritatis assequendam, quotusquisque est, qui non videat, rudem, atque hospitem in disciplinis Ecclesiae, posse neminem? Cum ea sit to-

ta in

ta in Conciliorum, & Pontificum definitionibus, in Patrum ſapientiſſimorum ſententiis, in elaboratis Doctorum commentariis expreſſa, vel de dogmatum religione, vel de morum integritate queratur? Iccirco Deus Hebraeorum Pontifici ſummo, eam veſtium concinnitatem, ornatumque imperavit, caracteribus, gemmis, & margaritis intextum, quò ſolennibus ipſe operans miniſteriis, emblema veluti quodpiam inſigne, adverſo pectore praeſeferret, ubi duae illae inſculptae voces, *doctrina, & veritas*, legebantur. Iccirco pedem, ne in ſacrarium inferret, quin fidium, & tubarum ſonus, adeunti praecineret, vetabatur; nempe ut omnes divina oracula, vatumque fatidicorum praeſenſiones interpretandas, explicandaſque intelligerent, ad unum dumtaxat ſacerdotalem ordinem pertinere.

O igitur nunquam ſatis, pro merito praedicandam majorum noſtrorum induſtriam, qui, ut hujuſmodi inſcitiae malo graviſſimo, quàm diligenter conſulerent, in eo tantopere laborarunt, ut collectiones Legum Sacrarum ampliſſimas, & accuratiſſimas concinnarent, quarum ope, compendiariam veluti viam, ad ſcientiam divinitatis comparandam, omnibus patefacerent. Sanè quidem herclè, cùm ab ipſis Eccleſiae incunabulis, ſtatim in unum coacti, ad Gentium mores informandos, Apoſtolorum canones comparuerint, ſive illos Clemens tertius à Petro, qui Romae clavum Pontificatus obtinuit, ſive quis alius literis conſigna-

vit, & in quadrum, numerumque redegit; quid deinde hominum ſapientiſſimi dubitarent eamdem ſpartam ornare, eòdemque operam, cogitationesque conferre, unde rei Chriſtianae tantum ponderis, & dignitatis accederet?

Hinc factum eſt, ut in Aſia primùm, omnium tum Orbis partium nobiliſſimâ, atque interioribus diſciplinis, religionem maximè condocentibus florentiſſimâ, deinde in ceteris Chriſtiani juris, ubicumque terrarum locis, Viri, aequè morum gravitate, atque humanarum, divinarumque Literarum eruditione praecipui, in id mirabiliter incubuerint, ne fuſae, & diſperſae, quae in molem excreverant, vagarentur, ac volitarent Leges, ſed ſuis quaeque capitibus attributae, omnium manibus verſarentur. Quod ſi unanimi conſenſione, id laboris, mortalium excellentiſſimi praeſtiterunt, eo prorſus animo, ut his praecipuè, apud quos, propugnandae, & docendae religionis cura excubaret, veluti armamentarium quoddam paratiſſimum, atque inſtructiſſimum foret, unde arma caperent, quò ſanctam DEI Civitatem protegerent, quò improborum perfugia obſtruerent, quò ſcelerum obſidionem propellerent, & corruptarum opinionum peſtem radicitus extirparent, quae, malum! nequitia eſſet, ſi nunc contra, nec religionis excubiae in ſtationibus vigilarent, nec ſi qua premat erroris incurſio, in praeſidio conſiſtere, aut cominus agere auderent, ad hominum poſtremorum bellum nefarium, & pugnaciſſimum retundendum?

Pudet

Pudet me vehementer hìc loci, foedissimam Ethnicorum superstitionem commemorare. Verumtamen necesse est liberè loqui, vel, ut nostri ordinis homines, ex arctissimo, quo capiuntur, somno, tandem aliquando excitentur, vel, ut eos, profanorum comparatione, angore, & anxietate perstringam. Ethnicorum ergo sapientes, eam sibi Legem, in rerum agendarum aggressione stabiliter constituerant, ut omnium, quae gerenda forent, auctoritas, augurali jure contineretur. Quare auspicatò senatus deliberabat, auspicatò rogabantur Leges, auspicatò magistratus, Tribuni, Consules, Pontifices creabantur. Auspicatò Imperatores pugnabant, instruebant aciem, exercitum conscribebant, comitia vel habebantur, vel obnunciatione cessabant, auspicatò tota resp. gerebatur. Sine auspiciis nil factum, infectumve licebat. Et cum magna vis, ait Cicero, crederetur esse in monstris interpretandis, & procurandis omnem hanc ex Etruria scientiam adhibuerunt; ut ne genus esset divinationis ullum, quod ab iis neglectum, aut posthabitum videretur. Quare Collegia amplissima, eaque plurima, ut Romae essent in primis, atque alibi multa, in quibus augures ad augurium agendum, ad faciendam aruspicinam aruspices erudirentur, impendiis maximis voluerunt; propterea quia, prudenter, & cautè in communi tunc Hominum persuasione sentiebant, ***omnibus in rebus temeritatem in assentiendo, erroremque esse turpem, tum in eo loco maximè in***

De Divin. l. 1.

Cic. ibid.

mè, in quo judicandum est, quantum auspiciis, rebusque divinis, religionique tribuere debeamus; Est enim periculum, ne, aut neglectis his, impia fraude, aut susceptis, anili superstitione obligemur. O dictum bene, & sapienter, & summo viro dignum, ut Tullius scilicet! Erant ea quidem vana, & ludicra, & fabulosa; verùm, quid magìs aptum, & consentaneum, tuendae ab erroribus veritati convenire potest? Illud autem huc respicit, quod pudendum, dolendumque vehementer puto, instructiora fuisse olim, magisque de inani superstitione solicita, veterum sacrilegia, quàm modò sint de pietate, ac solidâ erga DEum religione, ministeria Christianorum. Ergo illi fuerint in obscoenis ritibus ediscendis, adeò seduli, & navi, ut nihil domi, forisque agerent, neglectis procurationibus, easque ita peragerent, ut peritissimos, & sollertissimos, diuturnâque doctrina instructissimos adhiberent, ne quid fallerent, ne quid peccarent, ne quid temere, praesumptâ opinione, interponerent; Nos autem contra, in rei christianae studio gravissimo, aetatem vivere turpissimo ocio feriantem non pudeat? Atquì nobis, ut olim profanis illis praestigiatoribus, edictum est, ut scientia debeat, quisquis ille fuerit, qui ad Christianae rei temperationem adspirat, omnino excellere. Idem quippe est, pastorem agere, & magisterium populi sustinere. Haec enim munia reciprocantur. Id etiam Sacrificulis illis insanis, & deceptoribus jubebatur.
Cic. 2. de Leg. Lata namque Lex erat. *A publicis Sacerdotibus ignari*

ignari discunto, quo, & privatim, & publicè, modo, rituque fiat. Num propterea, aut illi à stipite aliquo potuissent, aut nos possumus, id aetatis, religionis initia, ab imperitis Sacerdotibus edoceri? Et si adeò fabulatores illi pro nefariae superstitionis captu angebantur, ut Fulguralibus, & Ritualibus libris impallescerent, ut extis pecudum perscrutandis penè exanimes immorerentur, ut avium cantum, gestumve inspiciendo, dies, noctesque consumerent; quid nobis quaeso, Exetestice, pollicebimur, ex alacri illo Clericorum grege, de gerris, & nugis semper, nunquam de religione, de divinitate, de Legibus cogitante? Quo malo omnium maximo, nihil herclè deterius contingere Ecclesiae potest. Attamen Eorum nequitiae, si diis placet, ignoscerem, si quam probabilem excusationem praetexerent, negligentiae, & tarditatis suae. Sed enim, cum Christiano orbe toto, quà longè, latèque Evangelii claritas illucescit, Academiae florentissimae tot sapientum virorum vocibus personantes, praesertim Pontificum Romanorum auctoritate, in hanc ipsam opportunitatem, & commodum excitatae, omnibus pateant; cum de jure Ecclesiae publico, aliisque sacris eruditionibus monumenta, non modò suppetant, sed etiam superfluant, quam ob rem conquerendum sit potiùs hoc aeuo, ceteroquin bonis artibus auspicatissimo, librorum regnum, ita in dies singulos dilatari, ut jam bibliothecae ipsae se capere minimè possint; cum denique jam inde à

principio, multòque accuratiùs, Ecclesiae aetate jam confirmatâ, de excellentium virorum oleo, operâque exarati, multi codices comparuerint, ita ordine, & progressu rerum interpolati, ut omnia inde subsidia, ad hanc totam canonum disciplinam opportunissima, facili negocio expromantur; planè non video, cur isti homines somniculosi, tam utilem, tam necessariam suis rationibus, eruditionem susque deque habeant, atque ignavissimè praetermittant. Non carent ergo, Exetestice, Librorum ope, praestantium. Egent potius distributione, & delectu, ut ne dediscere, quod perceperunt, confusis, perturbatisque regulis, adigantur. Quare, cum veteres fundamenta, recentiores, continentes contignationes, posuerint, ab unis origo Legum Sacrarum, ab alteris certa discendi methodus habenda est. Itaque non eos pigeat, primùm in manus sumere auctores principes, ex quorum meditatione, & vigiliis initia tam nobilis disciplinae profecta sunt. Quod, si tandem ex pervetustis, & semesis codicibus, blattas, situmque excusserint, non illis erit profectò suppoenitendum industriae, & navitatis suae.

Quid enim, si putrescere, in forulis bibliothecarum, sinant, & Joan. Scholastici collectionem, & Alexii Aristini Synopsim, & Simeonis magistri, & Logothetae epithomen, & Dionysii monachi nomocanonem, & Nili metropolitae Rhodii enarrationem Synopticam, & Joannis Leunclavii

Amelbur-

Amelburni notatorum Libros, & Cresconii Africani Breviarium, num, quaeso, prima jacere fundamenta, & quandam veluti futuri operis molitionem poterunt, è schola impoliti, qui originem artis, quam parant, minimè omnium norunt? Qui rationem temporum, quibus invecta est, quibusque aetatibus viguit, adolevit, effloruit, ignorant? Ignorant auctorum partes, ingenium, naevos, & quâ quisque ad scribendum cupiditate, animum adjecerit. Ignorant vim, originem, auctoritatem Legum latarum. Ignorant denique antinomias, fabulas, anacronismos, quibus persaepe volumina Scriptorum etiam praeclarorum fœdantur, quos tamen seculorum memoria immortalitati consecravit, nobisque esse duces voluit, & signiferos hujusce adipiscendae sapientiae. Quod, si ante Nicaenam Synodum toto orbe celebratissimam, magistra veritatis Rom. Ecclesia, tum in moribus, tum in dogmatum religionibus informandis, unâ dumtaxat Apostolorum, Patrumque traditâ disciplinâ, & divinis Codicibus utebatur, ita ut sponte sua, & consuetudine magis inveteratâ, usuque majorum nuspiam gentium interrupto, quàm jure scripto, aut latis Legibus regeretur, ô illam beatam temporum conditionem, quibus mortalium animos, imperio, & judiciorum severitate, coërcere non oportebat! Sola virtutis, verique cognitio, pro toto genere rationis habebatur, de qua nunc forum tam acriter, & contentiosè discordat. Nondum sacra Ecclesiasticorum subsellia,

lia, profanorum vocibus personabant. Inaudita prorsus, & barbara, longi temporis praescriptionum, comperendinatûs, vadimoniorum, & repetundarum vocabula; necdum Ecclesiae judicia, portenta illa verborum, syngraphae, manus mortuae, versura pervaserant. Sine bibliothecis, & Tabulariis, sine scriptarum hinc inde caussarum tractatibus, & involucris, sine actionum praeconibus, sine praedibus litium, controversiae omnes dirimebantur, ubi ad Ecclesiae magistratus provocabatur. Tradita à majoribus disciplina, & sacrorum Codicum divina auctoritas, juxta de ritibus, & caeremoniis, ac de veritate, & moribus decidebant. O illam praeclarissimam, & invidendam, sinite hic loci, me iterum gaudere animis gaudium, veterum Christianorum felicitatem! Sed haec obsoleta. Propagatâ sensim in omnes partes latè terrarum, Christianâ republicâ, sedatâ barbarie, seu potiùs cladibus fessâ, & saevitiae turbinibus depulsis, quorum metu, coercitae adolescentis Ecclesiae plebes, in officio continebantur, coepit paulò liberiùs, quàm licebat, cum populi, tum sacerdotum vita diffluere. Id habet malorum maximum, & periculosissimum multitudo, ut facilè ad vitia consentiat, facillimè à gravitate, & more majorum, institutoque discedat, sive hoc improborum numerus, minus sibi periculi à publica potestate, iccirco quod multi peccant, metuentium, sive id impunita praevaricantium licentia pariat, sitque instar pestis,

quae

quae continenti vulgatâ lue, magis errat, magisque serpit, quo major extat materia, quam depascatur; Contra verò paucitas, & dicto audiens magis, & pudore quodam quasi fraeno, ne convulsis aequi, bonique repagulis, ad foeda, & turpia abripiatur, nullo negocio regitur. Aucto igitur numero, fusâque in omnes fere Orbis angulos Christiani populi infinitate, multiplicatis Ædium sacrarum extructionibus, sacerdotiis opulentissimis constitutis, religionis mysteriis, non jam in latebris, sed in apertâ luce versantibus, incidit in scopulum disciplina, ad quem publicae res omnes, ubi ex humili ad summum veniunt, miserè solent naufragium facere, ut nimirum ab ordine pedetentim, juxta ac vulgus naturâ insolens, & imperitum, sanctiores etiam, & sapientiores deficerent. Tum gliscentibus morbis quaesitum est synodorum remedium, salubre in primis, & opportunum. Id cum veteres admodùm intellexissent, eae celebrari frequentiùs coeperunt, in Asiâ primùm, ubi vix nata religio, non procul abfuit ab extremo discrimine, pertinaciùs, ut est illarum etiam nunc gentium natura, sacrorum custodibus inter se digladiantibus, conflictatione animorum tantâ, ut Orientem, quà latè extenditur, universum, disceptationibus infinitis, atque erroribus patefacerent. Re compositâ, inde ortae leges ad opinantium libidinem coërcendam, & ne illae oblivione exolescerent, legum collectiones. Illud verò minimè praetereundum,

ſeriùs videlicet in Occidentem, hoc legum ſtudium fuiſſe propagatum. Cum enim Orientis Eccleſiae, jam inde à ſecundâ œcumenicâ Synodo, Aſiaticorum quinque conventuum Sanctiones, ſtatim populis promulgaſſent, Rom. Eccleſia ad ann. Chriſti 410. Nicaenos tantùm canonas, pro totâ morum, & dogmatum diſciplinâ, retinuit; quò quiſque intelligat, quid tandem Romanae Eccleſiae conſilii fuerit, cùm de augendis, multiplicandiſque legibus ageretur. Quod ſi poſtmodò ſuas Oriens in Occidentem, ſuaſque Occidens in Orientem leges trajecit, id obtigit, ne ipſæ leges in multitudinem quaſi infinitam ſylveſcerent, morum varietate, rerumque diſſimiles, quod maximè ab unitate eſt alienum, quâ Chriſti nititur, & praecellit Eccleſia. Gratias itaque, grateſque agere hominum ſapientiſſimis, ii praeſertim, qui in ſacrum ordinem conſcribuntur, debent. Illi ſiquidem collectionibus ſuis praeſtiterunt, ut numerus legum latarum ad calculum revocari poſſet, & navorum inſtar agricolarum, qui luxuriam arborum fruticantium ſuccidunt, coguntque molles, & flexuoſas, in quincuncem, id eſt in ordinem, & certa intervalla diſpoſitas, adoleſcere; illi haud ſecus, quae olim dumeti cujuſdam more, vepribus implicatiſſimi, ne ad hujus ſcientiae adeptionem aditus fieret, viam obſidebant, ſynodicas conſultationes aptiſſimè centuriatas diſtribuerunt. Hinc propterea fit, quòd, ſi quando, mihi in manus vacuo, ſancti Leonis juſſu ador-

nata

nata, illa graecorum Conciliorum translatio sumitur, exosculari eam equidem, & suaviari non desino, & Pontificum sapientissimo consilium gratulor, quo tantum de posteritate meruit, quantum memoria illorum temporum, meruisse testatur neminem. Reginonem, & Burchardum, & Ivonem, quis satis queat pro meritis commendare, viros scilicet omni laude summos, qui tot conatibus, ut rem perficerent, contenderunt? Algerio deinde Cardinali, & Anselmo Lucensi, & Theodoro Cantuariensi, & Egberto Eboracensi, & Rabano Mauro, & Fulberto Abbati, & Theodulpho Aurelianensi, & Hincmaro Rhemensi, & Stephano Baluzio, vix ego non hostias, & pulvinaria, tamquam de Coelo delapsis Ecclesiastici juris numinibus praesentissimis, rite decernerem. Illud autem inficiari quis audeat, horum nempe virorum praeclarissimorum sapientiam, thesaurum esse locupletissimum, quo nunc abundè ditescimus, cujusque opibus inexhaustis, & perenniter defluentibus, ceteri subinde omnes floruere. Gratianus Clusinus Monachus unus sit instar omnium, qui tantam sui nominis famam, concordiâ illâ suâ, discordantium canonum excitavit, ut ceterorum consensione, summum inter sacri juris Antistites, obtinuerit principatum. Ad ejus decretum, tanquam ad Lydium lapidem, publica Academiarum studia, fori auctoritas, & judicia, aestimantur. Hic autem vir tantus, tamque hominum opinione clarus, unde tam uberi

rerum

rerum copiâ ditatus est? Profectò ex eorum veterum monumentorum compilatoribus, qui primam his literis manum, cogitationemque adjecerunt.

Malè sit ergo Isidoro illi mercatori, qui tot tricas, apinasque, in Canonicae facultatis epitomas, tum ex Patrum scriptis, tum ex Pontificum Romanorum epistolis, vel suppositis, vel tralatitiis, invexit. Ex hac faece plura, Ivoni etiam, quis crederet? & Burchardo, & Gratiano ipsi adhaeserunt. Quare, qui possit unquam, nubem hanc inscitiae foedam, & lutulentam abstergere, ni praecursores habeat emunctae naris viros, quorum acri judicio, errata passim, & propinata egregiis etiam Scriptoribus, internoscat? Ergo, sic statuo. Baronius inprimis Ecclesiasticae historiae parens, attento, bibuloque animo praelegatur. Baronius septam, & interclusam ambagibus viam patefecit. Is accuratissimè omnium, rationem temporum, rerum ordinem, vulgatarum Legum auctoritatem, & quâ quaeque, vel loci, vel temporis occasione, sit jussa, rogata, abrogata, instituta, luculentissimè tradit. Et ne fortè miremini, huic me uni deferre tantum, quem sciam in tam magno rerum, gestorumque apparatu, identidem dormitasse; Pammelium addo, & Antonium Augustinum, & Fagnanum, & Engelium, & Rigaltium, & Bellarminum. Quid, si etiam Rhenanum, & Espenium, viros omnigenâ canonum eruditione clarissimos? Olent ii quidem Noricum nescio

quid

quid, atque exoticum. Tamen & ſcitiſſimi juris ſunt, & ſi ad methodum, nitoremque reſpicias, pleriſque omnibus praeſtantiores. Quod ſi aliquando plus aequo, ſeculi poteſtatibus tribuerunt, illud regionibus potius, ſua enim quaeque ſubeſſe nationibus praejudicia ſolent, minimè verò hominum vitio dandum, aut perverſitati, putaverim.

Itaque hoc noſtris animis firmiter defigamus, neque hominem Deo ſacrum, alicui eſſe bono, ſine canonum intelligentiâ, Eccleſiae poſſe, nec canonum intelligentiam, ſine ſummo labore, ſtudio, delectu, bonorumque Librorum lectitatione comparari. Imo verò, ut paucis concludam, quot Chriſtiana reſpub. multis ab hinc aetatibus, calamitates perpeſſa eſt, quot perditorum hominum ſeditiones factae, & religionis, & morum integritatem, ſanctitatemque hactenus corruperunt, quot primaevam Eccleſiae normam, & diſciplinam, indulgentiores licentiae, effraeneſque priſtinae ſeveritatis abrogationes detriverunt, hæç importata publicae rei detrimenta, uni dumtaxat Eccleſiaſtici Ordinis oſcitantiae ſunt adſignanda; Eorum ſcilicet, qui compreſſis manibus ſedent, qui laborem, atque animi contentionem, quamdam veluti è Styge Gorgonem reformidant. Iccirco in ocio, & crepundiis, & commeſſationibus, tabernaculum vitae collocant; ſuntque olidarum caprearum ſimiles, quae publicos agros depaſcunt, & virgetorum, & vinetorum ſarmentis, non ex-

plentur modò, sed intemperanter ingurgitantur, & tamen expletae, saturatae, & distentae pingvedine, sterilescunt. Utinam aliquando delicati isti homines resipiscant; quod erit profectò, si velint, quem Deus summum Christiano gregi universo Pastorem dederit, imitari; Benedictum nempe XIV. cujus quidem nomen non sapientis est, sed sapientiae. Ad ejus normam praecipuè, & exemplum, in partem curarum vocati, sese omnino componere naviter debent, ut populis præesse doctrinâ, & divinarum rerum eruditione possint, quae in ipso tam mirabiliter eminet, ut bibliotheca quaedam animata esse videatur.

Sed haec hactenus. Modò, quid de ceteris sentiam, qui profana judicia faciunt, breviter dicam. Nego itaque in primis quempiam, aequi, bonique arbitrum agere, sine utriusque prudentiae cognitione, posse. Nego eos, qui publicae rei gerendae, à majoribus potestatibus praeficiuntur, sine sacri juris peritiâ, posse personam Civitatis sustinere, & de capite, famâ, fortunisque hominum judicare. Hinc quemadmodum divinarum rerum Antistites, inexpiabili proditione culpantur, quorum ignaviâ, spes omnis capiendi fructum ex agro Domini, vineâque decollat; ita & illos, quorum in sacris legibus imprudentiâ, Imperii, & sacerdotii dignitas, suis utraque sedibus deturbatur, genus hominum audacissimum, imò & Legirupas, & moratores, laqueo, & latomiis adjudicandos existimo. Quod, si monstra senten-

tiarum

tiarum immania, quae ex illorum tripode proferuntur, si publicae rei, privataeque, calamitates prope infinitas, velim recensere numerando, praeterquàm quòd, in omnium luce, atque ore sunt positae, mea haec oratio, nunquam exitum inveniret. Collineandum itaque est, ut propositum attingamus. Inest equidem, Exetestice, in omni genere literarum, quaedam veluti affinitas, & colligatio, ex naturâ ipsâ rerum dimanans, quâ ita sese bonarum artium studia amplexantur, & fovent, ut alia ex aliis annexa, cuncta verò inter se apta, & copulata esse videantur. Quare excoli ingenium nequit, aut illustrari liberalibus disciplinis, illa, vel altera, siquidem negligatur. Haec in propatulo sunt. At illud maximè in utriusque prudentiâ juris, luce ipsâ solis est clarius, arctius vinculum, majoremque consensionem excogitari minimè posse, quàm quâ Caesarum, & Pontificum jura adstringuntur; Quo fit, ut civilis scientia, & canonum captus serram veluti ducere videantur. Hic autem loci, quem latet, etsi primoribus labris hanc facultatem attigerit, & jus civile per Canones emendatum, plurima, quae rogaverat, abrogasse; & canonum constitutiones, quò validius in animos imprimerentur, armatae potestatis jura acciviße? Quod, si certum, ratumque est, noli quaerere, quamobrem sapientissimum Ecclesiae magisterium, humanarum legum * famulatum, minimè olim respuerit, & sanctuarii pondere adhibito, ad Evangelii normam,

l. c. super specula de privileg. & exceß. privileg.

* *c. p. de novi op. nunciat.*

 sancti-

ſanctitatemque perfecerit. Plura ſiquidem ea de cauſſa ex profano jure * Pontifices decerpſerunt, ut toto paſſim de regulis inſcripto titulo, manifeſtè deprehenditur; quemadmodum plures Eccleſiae regulas, ad populorum, & Civitatum temperationem, Principes adhibuerunt, eaſque Codicibus ſuis, Theodoſius, & Juſtinianus inſeruere. Cujuſmodi rei veritatem, novellae Graecorum Caeſarum ad Jo: Ducam, de rebus Eccleſiaſticis, conſtitutiones, ſatis abundè probant, monetque in primis An: Auguſtinus, in Hadriani primi luculentiſſimam collectionem. Cum verò maleficiorum natura omnis, & notio ſit omnino Eccleſiae trutinâ examinanda, quid mirum eſt, ſi plurimarum legum civicarum praevaricationes, ad Ethicae Chriſtianae normam exegerit, in quâ licentiùs peccaverant? Nunquid enim cum malâ fide conjunctam, longiſſimi temporis praeſcriptionem probaret? Aut heredem ex damno illato à defuncto, non niſi quatenus ex tali damno ad eum pervenerit, obligari permitteret? Aut inpuris vulgatarum mulierum contuberniis perperam conniveret? Aut pecuniarum verſuras, foenore accepto, commodantibus adjudicaret? quae ſingulae, aliaeque hujus generis peſtes longè ſunt à Chriſtianorum moribus procul, quos una dumtaxat aeter-

nae

* reg. 3. de reg. jur.
c. omnis res ibid.
c. quod latenter.
c. ult. de pactis.
c. Privilegium.
c. Cum quis 23. de ſen. excom. in 6. ex l. ſemper qui 60. ff. de diver. reg. juris.
c. ignor. de reg. jur. ex. l. regula ff. de jur. & facti ignor.
c. auditis 29. de Elec. ex l. quod initio 29. ff. de reg. jur.
c. Nullus de reg. jur. in 6. ex l. nemo 8. de exception.
c. mora de reg. in 6. ex l. Emptor 12. ff. de aqua plu. arc.
c. praeſumitur de reg. in 6. ex l. verius ff. de probat.
c. poenae 12. de poenit. diſt. 5. ex l. penult. ff. de poenis.
c. ult. de praeſcript.
c. ult. de ſepult.
c. quod ex furto ad Eum pervenit.
c. audite 6. diſt. 34.

nae ratio mentis instituit, mixtione qualibet doli, injuriae, & perversitatis abstersâ. Itaque si alter altero colligatur legum nexu, jurisprudentiae captus universae; Si Imperii auctoritas summa, Ecclesiae censuram, & reprehensionem, minimè dedignatur; Si haec item Ecclesia populorum magistra, eadem, quae sunt per Imperii summam potestatem jussa, suis ipsa legibus inserit, suisque magistratibus ad judicandum, proponit, videsis, ne alterutrâ juris cognitione neglectâ, neutrum agere pro officio possis, nempe, nec divinorum antistitem, nec civilium rerum administrum, uno verbo, nec judicem, nec sacerdotem.

At ergo, si haec tanta Legum affinitas, quare non modò opus sit, sed etiam oporteat, utrisque operam, & curam impendere, quam ob rem, nescio quis mihi occinit è scholâ recens, Ecclesiae jure, civilis scientiae studio, sacris hominibus interdicitur, dirarum obnunciatione praevaricantibus interminatâ? Aut igitur, ut perniciosum, nedum inutile Legum civicarum studium, canones Ecclesiae foribus prohibuerunt; aut si necessarium, & opportunum, ut christianae rei commodo consulatur, temere, ne dicam aliquid gravius, Sacris Legibus cautum est, ut ne divinitus initiandis, Caesarei juris vestibulum recludatur. Haec fucum faciunt penitioris scientiae imperitis, quos facile est, oblatâ religione liberare. Lex est lata, ne Clerici, aliaeque hominum classes, quae Ecclesiae militant, civilis Jurisprudentiae

c. ult. ne Cler. vel monachi.

Legibus instituantur. At non eâ de caussâ, quòd vel noxia, vel vacua id genus studia, per canones rejiciantur. Sunt ea quidem maximè fructuosa, sunt plena sapientiae. Atquì interdicto canonum abdicantur. Nempe, si rem divinam, si delatum officium, si sanctiora demum munera, & ministeria intermittere, DEO sacrum hominem cogant. Nefas propterea foret omnium minimè tolerandum, si haec studia Clerus percurreret, eo animo, eâque sibi ratione propositâ, ut mundanarum rerum procurationem susciperet, & ad profana negocia totus incumberet, totusque, abjectis Sacrorum religionibus, vigilaret, ita ut nullum ei reliquum spatium fieret cogitandi de vitâ, ad exemplar, quod Christus est, conformandâ, de peragendis mysteriis, & moribus castigandis. Id mihi planè, cum omnibus, qui canones sciunt, nullâ quaestione, convenit.

Itaque altè animis, Exetestice, defigamus, Eos, vehementer errare, qui putant, Ecclesiae regulas, dumtaxat ad homines pertinere, qui illius procurationem gerunt. Ad Eos etiam pertinent, qui Christianam rempublicam administrant. Propterea Clericis, canones ignorare, summum nefas esse, ceteris verò, qui jus populis dicunt, quàm maximè periculosum, semel atque iterum praedico. Utriusque nimirum jurisprudentiae naturam, & consensionem inspicere, necesse est. Hanc teneant, hanc penitus sciant, qui volunt personam judicis sustinere: Secus, nec sine Imperii

prae-

praeſcriptis, decernere Eccleſia queat, nec ſine Eccleſiae regulis, rite, atque ordine, jus ſuum unicuique tribuere, Imperium poſſit, & verè aequabilem dominatum, in populos exercere. Quod, ſi alterutra deſit juris intelligentia, cui tandem bono eſſe, ampliſſima ſacerdotii, regnique authoritas poterit? Imò verò, quotus eſt quiſque, qui neſciat, hanc juris ſcientiam, inchoatam, & mancam, fuiſſe olim, atque eſſe hactenus malorum ſcatebram maximorum, quibus totius Chriſtianae reipublicae ratio intervertitur, ſalus civium, & familiarum identidem periclitatur, judicia plerunque portentoſis ſententiarum ambiguitatibus, quae monſtra ſunt, involuta, magno utriuſque Principatûs cum probro, & dedecore, infamiâ flagrant? Haec, Exeteſtice, ſi omnium animis inſerantur, qui amore ſapientiae afficiuntur, iique ad plenos juſtitiae fontes, qui ex utrâque juriſprudentiâ, largè, & perenniter manant, enixè contenderint, tria ſumma bona, & praecipua inde maximè repetentur; religio, in quâ ſumma eſt honeſtatis, ſalva conſiſtet, pax, & ſecuritas Civium in tuto erit, mortalium denique omnium felicitas, abjecto metu injuriarum, & fraudum, liberè reſpirabit.

NOCTIUM SARMATICARUM VIGILIAE.

Nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati ea, quae magno assensu recepta sunt, Nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus.

Sen. de Vita Bea. ad Gallion.

GRAVISSIMO. ET. SAPIENTISSIMO
SANCTAE. VARMIENSIS. ECCLESIAE
PRAESULUM. CANONICORUM. COLLEGIO
GENERE. PROBITATE. DOCTRINA
ET. AMPLISSIMIS. SACERDOTIIS. CONSPICUO
CUJUS. MAXIME. EST. PIETATEM. EXEMPLO
DISCIPLINAM. STUDIO. RECTE. FACTORUM
ET. MINISTERIUM. SANCTITATIS. PUBLICUM
REI. DIVINAE. CURANDAE. NAVITER. ADHIBERE
OPERA. SEMPER. EGREGIA
IN. PROVINCIAM. ET. RELIGIONEM. NAVATA
AUCTA. SUMMIS. PROMERITIS
VIRTUTIS. ET. NOMINIS. FAMA
VIRIS. MAGNIS. ET. PRÆCLARISSIMIS
E. SINU. SUO
AD. POLONI. REGNI. GLORIAM
AD. SACERDOTII. LAUDEM. ET. DIGNITATEM
POSTERIS. PROPAGANDAM
PROFUSIS
UBALDUS. MIGNONIUS. SCH. PIARUM
ORATIONEM. SUAM. DE. MORALIBUS. DISCIPLINIS
VARMIAE. PRAENOBILIS. PRINCIPATUS
QUOD. IBI. AUSPICATO. ET. FELICITER
NOCTIUM. SARMATICARUM. VIGILIAS. EGERIT
ICCIRCO. DE. SE. BENEMERENTISSIMI
AETERNUM. MEMOR
L. M. Q. D. D. D.

DE MORALIBUS DISCIPLINIS
Ad Exetesticum Varmium.

QUod erat maximè optandum, & nostra hac aetate, nobis divinitus datum, laetitiis omnibus gratulamur, illud est, Exetestice, quòd longè exacta, & sublata, qua penitus infuscabantur, barbarie, praeclararum omnium fermè Artium studia, respirare aliquando, non solùm in aperto Cœlo, sed lautè etiam, & liberaliter vivere, ac triumphare, quodammodo videantur. Quotus enim quisque est, qui non videat, siquidem memoriam praeteritorum temporum, ad hanc, quâ fruimur, Literarum lucem, animadversione percurrat, quàm tota alia sit, quàmque illi dissimilis, quae olim rudis paedore obsoleverat, studiorum ratio, quae nunc gymnasia feliciter occupavit, ut, dubitare nemo unus possit, praesentem Literarum fortunam, cum aureo illo seculo, quo Sapientiae Laudes, tantopere inclaruerunt, de gloria, de amplitudine, de dignitate, imò etiam de principatu contendere. Infinitum esset ire per singula, & capita recensere disciplinarum, quibus affatim elegantia, & nitor accessit. Attamen sine ulla antiquitatis injuria, licet nunc de incremento, deque elegan-

tia, & perfectione non Liberalium modò, sed etiam mechanicorum operum omnium, quae, vel commodo, vel ornamento mortalium suppetunt, cum vetustate certare. Licet herclè Philologos, Physicos, Mathematicos, Medicos, Jurisperitos, ceterosque bonarum artium Magistros, quibus jam pridem, haec nostra aetas mirabiliter floret, cum priscis illis eruditione celebratissimis, sine invidia conferre. At non licet (audaciùs fortasse, sed sine fuco putidae assentationis dicam) non licet sanè, nescio quo misero Christianae reip. fato, id ipsum, quod in ceteris facultatibus praedicamus, perfectionis genus, & quamdam veluti maturitatem, in morum, vitaeque doctrinâ, jactare. Adhuc omnium, quae regina est ceterarum, quaeque hominis meliorem partem, moderatur, ac temperat, disciplina sylvescit, adhuc livet rubigine, situmque olet, & opinionum quassu, & conflictatione pervertitur. Quo fit, ut eadem boni, malique notio, aliam virtuti, aliam vitio personam opiniosissimè imponat, perturbatione morum tantâ, ut doctorum utrinque pugnantium auctoritate, tota res Christiana periclitetur. Neque hic vellem, ut quae à me fidentiùs, & liberè proferuntur, non perinde, Exetestice, intelligantur, atque ipse cogitans sentio. Non ego mihi temere, atque inprudenter sumo, egregiae hujus, & sanctissimae disciplinae emendationem, novumque aliquid, & peregrinum afferre cogito. Absit animo audacia tam impudens, & praefracta. Illud

potius

potius malo, ut ad priſtinam, & conſularem hujuſce docendae facultatis viam, quà ratione, quà exemplis divinitus praemonſtratam, ſedulò redeamus; etſi, quod Cic. ſapientiſſimè admonet experientiâ diuturnâ maximè certum, equidem ſcio *Saepius ad Laudem ſcilicet, atque virtutem, naturam ſine doctrina, quàm ſine natura, doctrinam valere.* Itaque majorum uſu, & ſapientiâ, Ethicae Chriſtianae ſtudia adeuntibus, praelucente, in eo vires omnes, omnemque operam collocare vehementer curabo, ut planum, perſpectumque faciam, quàm futura ſit perdifficilis, & impedita moralium diſciplinarum ſcientia, quàm deinde rudis, enervis, & vacua, niſi ſubſidio ediſcentibus, Bibliorum veritas, Patrum judicium, & Eccleſiaſticae hiſtoriae lumen accedat. Nam Biblia leges, Patres Biblia, hiſtoria Patres illuſtrat. Hic quaſi aditus certus ad ſolidam morum eruditionem, ſi acri ingenio praeditae juventuti, atque his artibus informandae, pateat, veteratoribus ita multis, & Sycophantis carebimus, quorum infinitate bibliothecae mirabiliter onerantur; continebitur fraeno laxitas opinantium, qui tot abſurdis, & nugaciſſimis de lana, & colu diſputationibus, mortalium animos cruciant, ſanctitas demum, & caſtigatio morum ſimplex, & plana unanimi conſenſione docebitur, quin leges ad vitia, Evangelium ad licentiam, & procacitatem, DEUS ipſe optimus ad praepoſteras hominum affectiones, perperam detorqueantur. *Pro Arch.*

Atque

Atque hìc, Exceſtice, in primis, antequàm anchora praecidatur, & velis plenis oratio pergat, illud mihi dolendum ſemper exiſtimavi, quòd multis abhinc annis, in hominum animos praejudicium invaſit omnium pernicioſiſſimum, feſtinandum nimirum eſſe, non minùs in Literis ediſcendis, quàm olim fuerit, in ſtadio Olympiorum, ubi uter pedibus plus valeret, periclitabantur, atque certabant. Metam quippe in dimenſo ſpatio, qui relictis carceribus, perniciſſimi omnium praetervolabant, hi jure victores, quòd viam devoraſſent, praedicabantur. Ego verò in Literis percurrendis compendia laudo, at non ea ſcilicet deſultoria, ſed ſummatim, praeciſis ſuperfluitatibus, tradita. Nam brevitas illa docendarum diſciplinarum, quae miſſa facit ſubſidia ad perfectionem comparandam non ſolùm idonea, ſed maximè neceſſaria, non eſt ea quidem brevitas, at ſupina quaedam, & negligens pandiculatio hominis oſcitantis. Atqui nemo neſcit, & amplitudinem, & quamdam prope infinitatem, qua cognitio rerum divinarum, humanarumque perficitur. Nemo fines anguſtos, & perexiguos, quibus animi vis, conatuſque concluditur, quo omnino accidit, ut non uno ſpiritu continenter veri, falſique notiones protinus imbibantur. Tamen nihilominus, cum diuturnum, & improbum in ſtudiis laborem, id aetatis homines deliciis, & voluptatibus liqueſcentes, non parum graventur, ad nomen induſtriae, aſſiduitatis, vigiliae, uſque adeò exhorreſ-

cunt,

cunt, ut hanc indomitam, & pertinacem majorum noſtrorum alacritatem, ac Lernae prodigium aliquod, juxta metuant, & melius ament, ignavorum conſiliis, aliam viam commonſtrantium facilem, & compendiariam, ut ambitiosè gloriantur, vacare, quàm aequis, planiſque itineribus, ingenuarum artium, & ſapientiae domicilium in excelſo, & ſublimi loco poſitum conſectari. Quae ſit ergo, Exeteſtice, noſtrorum temporum deſidia, & vecordia, vides, ita ſibi, qui in roſa potant, delicati iſti homines aſſentantur, & oſcitantibus in ora delabi ſapientiam putant. Id cauſſae eſt, quamobrem in tanta doctrinae luce, quantam anteacta ſecula, ne quidem aſſequi voto, & cogitatione potuerunt, tam multa ſit deinde illorum penuria, qui verè ſapiunt, infinitas autem eorum, qui nihil prorſus cum ſapiant, ſibi tamen multùm ſapere videantur. Hoc verò, ſi in ceteris facultatibus certum, in moralibus diſciplinis certo certiùs eſt. Ego ipſe plenas ſtomachi, & querelarum voces, audivi, quòd arrogantia certorum hominum, ſeu potiùs tenebrionum, qui tamquam è concilio deorum prodeant, omnes prae ſe coenum aeſtimant, plurimorum fama, religio, virtus, pietas, omniſque ſanctitas in diſcrimen adducitur. Ignavum ſcilicet plerunque pecus, & in aliis facultatibus imbecillum, ad haec ſtudia, quae ſeveriora ſunt, & dicuntur, rejicitur, quod, quemadmodum Ægyptius canis è Nilo bibit, ea, quae avidius elicere, atque exhaurire oporteret, vix pri-

moribus labris attingit, & avolat; quasi verò in hoc genere doctrinarum, non vitae innocentia, non populorum felicitas, non Christiana demum reip. salus, firmitas, incrementum contineretur. Mehercle! quàm mirabiliter errant cursores isti studiorum, & in re omnium maxima, quàm graviter decipiuntur!

Quod ut funditus teneas, paulisper adverte. Solent bene multi, ex eorum praecipuè numero, qui sacris initiandi, in clericali militia stipendia merent, ubi in album Ecclesiae relati sunt, tum demum sese moralis scientiae doctoribus erudiendos tradere, cum perfunctoria latini sermonis notitia vix leviter delibuti, ex Grammaticorum tricis quoquomodo exilierunt. Cleri faeces, & recrementa diceres, adeo sunt bardi, & elingves, adeo subsidiis omnibus destituti politioris literaturae, sine tinctura dialecticae, sine methodo disserendi, nullius coloris, & saporis homines, meri lapides ad haec subsellia convolant doctrinarum, quòd ad ceteras disciplinas, neque ingenium habeant admodum factum, nec vires suppetant ad majora enitendi. Hoc autem nihil absurdius esse potest, ad haec sacraria adeuntibus, tam frugiferæ, retrusaeque sapientiae. Inde enim mala, quae Christianas plebes, misera contagione animorum, exulcerant, universa. O illos perditos, & deplorandos populi greges, quibus ejusmodi furfuris, aliquando Curiones contingant.

Sed haec missa faciamus, ne, cum capiti mederi

deri debeam, reduviam curem. Pluſculum videor exigere, quàm ut valeat ignavia, ſeu potiùs tarditas ingeniorum in interioribus literis ediſcendis, ad quas nemo neſcit quanta mentis ſollertia, quàm varia, & multiplex cognitionum ſupellex quàm eximia vis animi requiratur. Iſthaec omnia, Exeteſtice, negligantur. Sint ea hominis vacui, & malè feriati crepundia, Poëtarum, Rhetorum, hiſtoriarum, Dialecticae, dogmatum, judiciorum, ſtudia, quae tamen ad morum ſcientiam parandam affatim oportere, fugit neminem. Ex quo tandem penore Chriſtianae Ethicae promptuarium exeres? Puto ex divinorum librorum theſauro. Ex Patrum veterum commentariis. Ex ipſa demum Eccleſiae memoria, quae, cum luculentiſſimam priſcorum ſeculorum hiſtoriam, purè, & integrè poſteris tradat, quin corruptae opinionis ulla ſuſpicione laboret, ideo lux temporum, magiſtra vitae, teſtis veritatis, jure, & meritò haberi debet. Ad rem quidem, Varmie, ſi ſapis. Nihil enim huic generi doctrinarum vario, maximèque diſſimili, conducibilius eſſe contendo, quàm ſacris literis, & monumentis, & Patribus conſignatam laudatae proximè facultatis intelligentiam. Huc enim totum inde uſque ab initio ſuſceptum dicendi propoſitum reſpiciebat. Volui tamen ob oculos omnium ponere, quae ſit eorum conditio miſera & poenitenda, qui ſcholas docent hujuſmodi inordinatas, & peracerbas, quae cum praecoci maturitate extabeſcant, fru-

gum nihil, & fructuum, Magistris corrugantibus nares, Christianae reip. pollicentur. Ceterum ego, moralis scientiae cupidis, feciali quodam jure denuncio, bellum maximum illis esse adeundum cum maleficiis, & scelerum monstris prope infinitis, tot scilicet, quot natura mortalium impotens, & superba quotidie parit. Horum habitus, color, ingenium, nisi in aperto sint, & morum magistro cauto, scitoque penitus innotescant, actum est de scientia Christianae legis tota. Unam propterea illis spem esse reliquam ad proficiendum, si difficultatibus strenuè, & laboribus insurgant, illudque pugnent, ut bene vivendi artem, certumque, atque uberem virtutis censum, non aliunde, quàm ex sacris literis acquirendum, sibi constituant.

Et re vera, Exetestice, quid uberius, quid sanctius, & ad vitam laudabiliter instituendam praeclarius, quàm quod divinitus inspiratâ, Sacrorum voluminum religione comprehenditur? Quae pars aetatis, quod officii genus, quod rei gerendae munus & propositum vacat monitis saluberrimis, exemplorum copiâ, & sententiarum momentis gravibus, & severis, ad quae hominum vita exigatur, quaeque animis, si penitus haereant, & fixis in imo radicibus fruticentur, quid est, Exetestice, quare motus turbulenti, jactationesque animorum, & quae sermones, & appetitiones flagitia inquinant, distractis hinc inde opinionibus, expendantur. Quid? Plena sunt Ecclesiastae, plena proverbiorum

rum, plena Numerorum, & Prophetarum oracula, pleni Regum annales, ceterorumque Librorum paginae, quae veteris testamenti divinitate eminent, non solùm dictis, sed etiam factis, in quibus possis, tanquam in speculo vitam intueri, eamque ad recti, verique rationem aptissimè conformare. Ad haec, effusâ evangeliorum subinde luce, quàm mirabilem DEus optimus, & beneficentissimus, nobis Legum omnium naturae, & religionis epilogum adornavit? Nonne hunc, qui teneat, atque inde intimis, ut ita dicam, medullis, perennem illum caritatis fontem infundat, ex quo lex tota irrigatur, & floret, illi erit abundè satis, ad earum rerum scientiam excolendam, quae frugi hominem facit? Nonne ad animi pestes averruncandas, & ad eam vitam, quae ex summo bono degitur, quia cum virtute conjungitur, consequendam, Lumen omnium sanctitatum clarissimum praelucebit? Cujus quidem luminis vis, & praestantia, illos herclè philosophos, qui se auctores vitae, graviter, & sapienter instituendae, jactabant, ô quantâ sui parte, plerosque latuit! etsi multi fuerint, qui Ethica, plenis manibus, tradiderunt, Academici, Cyrenaici, Eliaci, Megarici, Cynici, Stoici, Peripatetici, aliique plures, de quorum numero, in primis summus, & classicus, & quidam quasi illorum Deus, adeo vehementer furere visus est, ut *Plato.* illud dicere non erubuerit - dare operam furto, & adulterio, sacrilegio quoque, & nefariis compilationibus, oblatâ opportunitate, sapientem non

dedecere. Quid verò Aristoteles, ille vir tantus, in cujus haeresi, servitutis authoramento, tot hominum classes militant ad internecionem? Interesse reip. docuit, & mulierum divortia, ne parerent, & mares maribus admittendos, ne plebes, vel inopia premantur, vel aucta prole insolescant. dignus propterea, qui in rabiem versus ex immoderata sciendi cupiditate, sibi necem ipse consciverit, & furiis immanibus impurum caput objecerit, quae illum certè docuerant tam nequiter philosophari.

In Politic.

Quamquam, etsi haec studia moralis scientiae ex abditioribus bibliorum fontibus derivanda esse praedico, illud etiam jubeo, ut veteres Ecclesiae Patres tamquam sententiarum interpretes, & germani sensûs explanatores, conjectoresque habeantur. Facile est quippe, sine eorum ductu, & praesidio, qui exordia christianae Legis, prope ipsis auribus attigerunt, ut in errorem, boni specie abducamur, & in veritatis meridie versantes, veritatem ipsam deinde, honesti, & probabilis nomine halucinemur. In primis ergo illud occurrit monendum graviter, dignum summo viro, id est Origene effatum, quod inculcare Auditoribus tuis nunquam desinas, Sacrae nimirum paginae, vel ipsos verborum apices, vel ipsas atomos syllabarum, & sesquibarbarae dictionis vocem, sanctitate donari, quare, si quis vel inelegantem sermonem, aut soloecismos, & menda interleverit, & carpserit, huic maximam injicit religionem; monetque eos, qui

In Philocal. c. 8. 10. 12.

qui magisterio morum, & dogmatum operantur, nihil ut marte suo, sed omnia ex Sacris Literis hauriant, ne assensus lubricos, ut ait Tullius, sustinere quoquomodo videantur. Quod eò vir magnus, & eorum certè omnium, qui locupletissimis commentariis, universum bibliorum complexum illustrarunt, antesignanus asseruit, ut excogitatas, ingeniosasque subtilitates, ab ingenuà, puràque Christi Sapientia, atque adeò à Christiani hominis instituto penitus abhorrere, condoceremur. *Acad. Quæst. Lib. 4.*

Quod, ut meliùs pateat, quâ alia de caussa in Libro contra Marcionem, vir acri ingenio, & natura perspicax Tertullianus, humanarum Studia disciplinarum, & Peripaton, tum temporis ad Loci principis dignitatem, doctrinae famâ grassantem, tam acerbe reprehendit, ut etiam haereticorum Patriarchas, Philosophos nominaverit? nimirum quia turbulentis hominibus garriendi artem perniciosissimam, viamque, & aditum aperuisset cavillationibus patentiorem? Quid ergo, clamitat, Athenis commune est cum Jerusalem? Quid Lyceo cum Ecclesia convenit, atque consentit! *O miserum Aristotelem, qui illis dialecticam instituit suam, artificem struendi, & destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi, omnia retractantem, nequid omnino tractaverit.* Nec Platonem secus, aut habuit meliùs, quem tamen tota antiquitas vehementer suspexit. *Doleo,* inquit, *bonâ fide Platonem omnium* *Et in Lib. con. Hermog. c. 4.* *Lib. de Praescript. haeretic.* *Ibid.*

haere-

haereticorum condimentarium factum. Haec, qui audiat, haerebit animis, Exercestice, aut illud consequi temere judicabit, quod & aliqui faciunt etiam nunc ignarissimi, cunctarum haeresum scatebram esse Philosophiam. Id profectò nostrae aetatis Philosophis minimè quadrat, & si fortè id flagitii competeret, videant ipsi, quàm perperam Aristoteleorum caussa ageretur. Itaque si ad illam temporis conditionem, quo haec dicta sunt, & scripta, respexerint, omnis scrupulus evelletur ex animo, eaque bene, & probè, & solidè pro opportunitate, & ratione, dicta, & scripta, deprehendent. E re natâ videlicet. Nam post obitum Alexandri, qui Persis magno bello devictis, tantopere Judaeorum commodis favit, tum demum natio illa, quae aliena tam fastidiosè etiam auribus respuebat, vacare graecis literis coepit. Inde Philo, aliique illius gentis Proceres, ut eruditiores ceteris viderentur, sacrorum bibliorum oracula, ad humanae philosophiae regulas detorserunt, quo factum est, ut vera falsis inverterent, & revelatae dogmatum veritati, inanem, & vacuam philosophiae larvam inponerent, atque adeò à simplicitate illa docendi facili, qua divina tractari debent, quàm longissimè abirent, quo certè nihil pejus, vel morum canonas, vel arcana mysteriorum initia tradas. Ceterum, si illud esset reprehensione dignum, philosophos pro eruditione versare, humaniores etiam literae, ipsius monitu, ablegarentur omnes, quas auctor acer- *Tract. de Idolol.*

rimus

rimus Christianos adolescentes doceri, nefas esse contendit, ea de caussa, quod mollior adhuc religionis infantia, quae inanibus Ethnicorum fabulis lactabatur, hisce propterea facilè superstitionibus inescari, seducique possit. Verùm ista sunt recens natae, non adultae Ecclesiae pericula. Extra nunc aleam omnem, omnemque penitus suspicionem, fabulatorum figmentis Christiana gymnasia personant. Quod ipsum idem in philosophis evolvendis, & Christiano more explicandis, sapiens quisque autumat, sanctissimis Ecclesiae Patribus, & magistris, qui ad haec Studia animum addiderunt, vadibus datis.

Ex hoc rerum ordine, ut ad nos redeamus, duo illa tibi, Exetestice, ad quae dicta hactenus corrivantur, sunt colligenda. Primùm, Patres, Scripturarum numen usque eò coluisse, ut ne quid minimum ex illis aut deteri, aut negligi paterentur, seu morum, seu dogmatum caussa ageretur. Quare illi Philosophos, eorumque Ethnicismum, quod & Apostolus Colossenses monuerat, diris omnibus devoverunt, quippe à sublimibus humanae sapientiae verbis, & acuminibus abhorret scientia divinitatis. Illa siquidem habent, ut plurimum probabilia, haec plana, & perspecta. Quamobrem, qui illis potiùs, quàm huic operam navant, & temere, & arroganter faciunt, iisque mortalium impudentissimis obsecundant, qui licentiam, & excursionem suis cupiditatibus quaerunt. Alterum est, quòd suorum temporum, Patres, non futuro-

rum identidem, rationem habuerunt, quibus utique, ex eodem nunc capite, minimè succenserent. Non enim cuncta illius temporis, nostrae aetatis hominibus competunt, id, quod etiam jussis canonum plurimorum, mutatâ rerum opportunitate, rubiginem, & oblivionem adspersit. Tanti profectò interest, puram, putamque sapientiam, ex illibatis uberibus sugere, & non aliunde, quàm ex ipsis Ecclesiae fontibus, & coëvis, sed bene perceptis, & ponderatis Ecclesiae Patribus, delibare.

Quid ergo illa immanis opusculorum strues, quae inanibus prologorum ampullis, & procul repetitis natalibus, de Remo, & Romulo narrant? Quid putidarum illa quaestionum, & formularum collectio misera, quae nempe totam, qua se arroganter ostentat, eruditionem, in eo propemodum statuit, ut pedissequam, & absurdam paucorum aenigmatum conjecturam, divinando adsequatur! Haec ratio de moribus inquirendi, quin prius, & humanorum actuum naturam, & de jure, & legibus commentaria, aliaque prodroma percurrantur, fidentium est hominum, qui levissimi sunt, impudentia. Hi serunt arbores, quae nec alteri seculo prodesse possunt, imò homines stultos, prorsus insanos faciunt. Fastigium enim imponere, cum domum extruas, & fundamenta negligere, est penitus insanire. Non huic profectò, majores nostri, studiorum generi incondito, & desultorio, sacraria praeclarissimae facultatis,

tatis,

tatis, patere poſſe putabant. Altiùs ſemina propagandae virtutis, altiùs morum initia, atque origines repetebant. Jacto primùm ſolo praecipuarum notionum, quibus eorum ſcripta illuſtrantur, tum demum artem vivendi ſolidam, & pleniſſimam inaedificabant, unumque erat, ad enodanda quaelibet, documentum, Eccleſiae ſcilicet pubeſcentis exemplum, quod palàm ad imitandum proponebatur. Ad hujus lineam & perpendiculum, Chriſtianorum acta, cogitata, conſilia dirigebantur, nec quid quiſque ſentiret, aut diſputando ſubtiliter declamaret, ſed quid quiſque optimus ageret, quid Apoſtolicâ traditione inſtitutum omnibus probaretur, ſanctumque eſſet, ſollertiſſimè perquirebant.

At enim, ſi in illam beatiſſimam Religionis adoleſcentiam, Theologorum aliquis, ex hoc coeno pragmaticus incidiſſet, quid Afrae illi invictiſſimæ feminæ, quae tum Auguſtae Vindelicorum pro Chriſto cremata eſt, ad rei opportunitatem, conſuluiſſet, cum ea ſe malè partis, ex meretricio queſtu; opibus abdicavit, & vix multo fletu, longiſque precibus vicit, ut illae demum in pauperes diſtribuerentur, quòd quae nefario, & crimînoſo lucro congerebantur, perinde ac furta, atque improbas compilationes, Eccleſia funditus repudiabat? Objeciſſet, credo, ſubtiliter, & ingenioſè, quòd qui malam ſuam operam vendit, cum ſuum det ipſe venum, quidquid inde propterea lucri facit, mercedis loco exigit, ſuiſque bonis caſtrenſibus,

atque adventitiis adnumerat. O praeclaram ex ganeis decisionem, quae tantopere Luparum commodis cavet! Perge porrò. Quo tandem loco, Fructuosum illum Episcopum Tarraconensem, argutulus hic Theologus habuisset, qui illud fortiter pro Ecclesiae legibus gessit, ut, quia mos erat fidelibus inveteratus, diem obitus Christi Domini, nullo victu penitus tolerandi, etsi jam erat inponendus in struem, quâ vivus subjectis ignibus ureretur, oblatum tamen à Christianorum miseratione poculum, ut aestuantem sitis molestiam, & vires senio, & cruciatibus fractas refocillaret, constantissimè recusaverit, quòd nimirum diceret, Christiano, & Episcopo, sacra veterum usu, & pietate jejunia abrogare, & frangere, non licere.

Thomass. 1. p. c. 19. & 2. p. c. 15.

Nolo hìc morem nostrorum temporum remissiorem, cum illius aevi severitate conferre. Scio enim aequo liberaliùs infirmitati nunc tribui, quàm disciplinae; & senio confectam veterum Christianorum virtutem, statu illo suo, quo vigebat maximè, & summè praestabat, miserè decidisse. Id omnes plerique dolent, & conqueruntur, pauci admodum curant, oblato exemplo, corrigere; quòd morbo insanabili, totius nimirum corporis contagioni, curationes adhibere, sit penitus desperandum. Verumtamen, si haec memoriâ recolerent egregia facta, qui morum gravissimum magisterium tenent, puderet eos, puto, tot gulae cupedia, ad declinandum Christianae temperantiae rigorem, excogitasse, ut ne vix quidem

pristinae

priſtinae illius modeſtiae, quâ majores noſtrī utebantur, umbram tenuiſſimam praeferamus. Quorſum enim, quaeſo, recentes iſti legum interpretes, hymettio melle ſuaviores, tam acutè ſcriptorum momenta ponderant? quorſum de edulium ciborum exiguitate, deque aridis alimoniis tam calumniosè, & fallaciter quaerunt? Quid illa frequens, de Americanae potionis libo, ad naturae jam ſeneſcentis, ut ajunt, inbecillitatem refovendam, tam acri partium motu, agitata totis lateribus diſceptatio? niſi ut veterem Eccleſiae morem, quem longa deſuetudine, ſacrorumque Paſtorum diſſimulatione abrogatum, proſcriptumque eſſe clamitant, peſſum omnino premant; ita ſanè, ut nunc lege Orchiâ, jejunia noſtra damnentur, & à divitum tectis, & tabernis artificum pene omnium, Leandro judice, evangelicae temperantiae forma, ad Cucullatos dumtaxat perpaucos, ſiti frigore, nuditate enecandos, penitus rejiciatur.

Quae, cum ita ſint, quae malum! dementia eſt, relictis fontibus, qui affluenter ex Patribus, & ſacris bibliorum literis ſcatent, perexiguos doctrinae latices, & non à capite, ſed aliunde accerſitos, exiles, & lutulentos rivulos conſectari? Mehercule! ſi valet quidpiam conſenſus bonorum omnium, ſi quid omnium exemplum ſeculorum, ſi quid ſapere, ſi quid ſucci habere, ad rectam vivendi artem commonſtrandam percupimus, in eo toti ſimus neceſſe eſt, ut pervetuſtos librorum codices, & Sanctorum Patrum volumina aſſiduâ

meditatione, exprimamus. Quam tum sanè multam, & lautam Theologicarum doctrinarum supellectilem, ex Tertulliano, ex Origene, ex Cypriano, nobis comparabimus, in quorum praeclaris operibus nerui sunt, atque artus eximiae, perfectaeque sapientiae. Quantum roboris, ad reddenda certiori jure, judicia morum, ex epistolis Irenaei, Polycarpi, Clementis, mirabiliter arripiemus, ubi, quae vitio scilicet, & virtuti veteres dabant, uberrimè congeruntur. Praeterea, quid dici potest, ad fundamenta evangelicae disciplinae jacienda firmiùs, atque solidiùs, tot conscriptis apologeticis, pro Christianâ vitâ innocenter actâ, & pro refellendâ veteratorum calumniâ, libris, queis Athanagoras, Justinus, & Tertullianus saepe laudatus, & jurisprudentiae famâ, Romae celebratissimus, Minucius Felix, ceterique non pauci, provectis deinde seculis inclaruerunt! Praetereo Papiam, qui proximè divulgatam Evangelii lucem, gravissimum de Pastore librum elucubravit, plenum monitis saluberrimis, ad vitae mores componendos, ad animum, non tam in gremio, quàm in Christi sermone, liberaliter educandum, ut inibi illius sanctitatis, quae paucis ante annis, ex ipso fonte defluxerat, verus color appareat. Praetereo tandem innumeros consequentium seculorum scriptores, tum in vitiis carpendis, tum in docendis virtutibus sapientissimos, Athanasium, Gregorium, Basilium, Hilarium, Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, & solis instar Ecclesiae la-

tissi-

tissimè praelucentem Thomam Aquinatem, aliosque sexcentos, quorum immensis laboribus, & vigiliis, Christiana res hactenus stetit, stabitque adeò diuturnitate, & memoriâ temporum sempiternâ.

En tibi, Exetestice, non de trivio, aut faece locutulejos, sed de praeclarâ sapientiae officinâ, praestantes doctrinae famâ, vitae innocentiâ, virtutum omnium splendore, principes viros, quos Studiorum duces habere, & presso pede magistros sequi, neminem pœnitebit. Quis autem sit sapiens, decernere, scio equidem, vel maximè id esse sapientis; at sapientes dicere, quos Ecclesia universa, & sanctissimos, & sapientissimos praedicat, procliue est cuilibet. Ii verò, qui unâ alicujus, quem primùm audierunt, sententiâ capti, de rebus incognitis, & difficillimis judicant, ad eorum numerum rejiciuntur, qui ad quamcumque sunt doctrinam, quasi tempestate delati, ad eam, tamquam ad saxum adhaerescunt, neque inde avelluntur, nisi mox alio, atque alio veluti fluctu impellantur; quod est omnino, ab omni vento doctrinae, ut ait Apostolus, circumferri. Ergo praecipuè Patribus est vacandum cupido moralis scientiae, si in hoc sacro certamine coronari, & Christianae plebis, publicis Sacerdotiis praesse, sine offensione, & periculo, meditatur.

At Patribus comes, ecclesiasticae historiae Lectio praeberi debet. Mirum siquidem profectò est, quàm hujusmodi rebus lucem, veterum monumen-

numentorum cognitio afferat, quae cum graecis, tum latinis literis continetur. Hujusce nimirum ope, & rei Christianae primordia, progressus, & incrementa; consuetudines deinde Ecclesiarum, & disciplinae, quâ ratione variaverint, instituta deprehendere, maximè fructuosum, ne absurdis aliquando, & contortis contradictionibus involvamur. Quid? quod naevos saepe, & maculas, quae non rarò admodum, sacris etiam scriptis adrepunt, annalium luce internoscimus? Et quid Origenes, quid Justinus, quid Cyprianus, quid alii multi peccaverint, vel miris anacronysmis, vel subdititiis Auctorum Libris, aut illapsis imprudenter erroribus intercepti, intelligimus? Fac tibi quidpiam de Manetis gurgustio in manus incidat, vel Thomae videlicet evangelium, vel opus Adimantis, vel à Seleuco conscriptus Actorum Liber, quo gesta Apostolicae aetatis nequiter corrugantur, quibusnam Deus bone! fabularum prodigiis, quàm multis vinolentorum somniis, miserè fluctuabis? Patres ipsi, ni praeeat antiquitatis cognitio, quantam rebus obscuritatem offundent? Quot scrupulis injectis, ex eorum lectitatione, ita finitima sunt falsa veris, studiosorum animi conficientur? Totus omnino stupeas, necesse est, ubi illud Origenis, in Exodum legas, nemini licere, qui conscientiâ alicujus sceleris teneatur, indictâ concione, Sacrorum Librorum explanationibus interesse. Quid, si plenos ecclesiasticâ dignitate, & sapientiâ, Illiberitani Concilii canonas, per Osium Episco-

Epiph: haer. 6. 6. & de fide con. Manet. c. 38. in append. Aug.

hom. 3.

pum,

pum, qui jam inde ad immortalitatem nominis dimanabat, unanimi omnium conspiratione, sanctissimè constitutos, attigeris? quà mentis haesitatione, atque animi pendeas, ubi illud occurrat, Patrum suffragio concordissimè latum, quo nefas nimirum esse, sacrarum Ædium parietes, coloratis operibus pingere, & sanctarum imaginum signis ornare, conclamatum est? In eam, puto, opinionem venies, quòd scilicet Iconoclastis, id est hominum insanissimis, concilium faverit, & ad eorum partes, absurdo, profligatoque consilio, deflexerit, cum tamen secus, ex Ecclesiae annalibus palam fiat, id eò nempe sancitum, factumque esse, ut ne impiorum convicio, quorum saepe excursiones debacchabantur, Beatorum imagines, exponerentur. Apage tragediarum, mimorumque spectacula si pervetera Ecclesiae jura vigerent. Erant ea quidem, tum temporis, irritamenta vitiorum, & scelerum sentinae omnium, quibus qui intererant, pietate, innocentia, fide periclitabantur. Quare de Alipio, illa moerens historia est, cujus vicem gravem, & deplorandam, tantopere miseret Augustinum. At non eâdem nunc, quâ olim, Comica, superstitione, & obscoenitate, inquinantur. Non eadem procax, & virulenta theatrorum fabula, Christianis auribus accinit, etsi aliquando Charites venustiores, graphicè fortasse nimis proludant, eaque propter laudandi maximè sint, qui ab hisce ludricis abstinent, ex eo praecipuè numero, qui profestis, & sacris lucibus, rem divinam cu-

D rant,

rant, & morum gravissimum magistratum, vitae severioris exemplo, gerere, & sustinere, authoramento adiguntur. Emendatâ theatrorum licentiâ, remissa est disciplina.

Sed quorsum haec Exetestice? Videlicet, ut qui ad haec studia moralium disciplinarum, inconsultâ quâdam properandi cupiditate rapiuntur, intelligant aliquando si diis placet, neque hosce aditus Christianae sapientiae, recludi oscitantibus posse, nec aliâ viâ connitendum esse, ut eò feliciter, & cum aliquo laboris fructu, evadamus, nisi in primis bibliorum lectionem, veterum deinde Patrum judicia, postremò verò Ecclesiasticae historiae lumen, quoddam velut Theologicae peregrinationis viaticum, nobiscum ipsi afferamus. At non est mihi tuis auribus abutendum, modusque orationi, ne longiùs excurrat, ponendus est. Praesertim cum nova addere, & peregrina, quae jam veteres non attigerint, in omni genere doctrinarum, si quis sanè praesumserit, mihi crede, arroganter cogitat, & superbè. Ille tuus ipse Nicolaus Copernicus, quo tantopere, & jure quidem, haec tua Varmia se praedicat, Nicetae Syracusio, debet quae tam mirè de Cœlo, ejusque luminibus, aut statariis, aut vagis excogitavit. Nihil enim sub sole inauditum, aut irrepertum in medium prodit. Tamen, ut haec morum scientia, nec benignè plus aequo, nec durè tractetur, iterum, atque iterum moneo. Inter utrumque tenendum est. Ne si benignius in laxamen-

Cicer. Acad. Quaest. Lucull. lib. 4. n. 123.

laxamentum, atque licentiam, si verò duriùs in anilem errorem, & superstitionem incurrat.

Itaque concludamus. Ut florem hunc, & delectum moralis scientiae, illamque auream mediocritatem, inter extrema, tutiorem, adsequamur, Ecclesiae leges à sacris olim conventibus latae, simulque Theologorum momenta expendantur. Et ne fortè magno scribentium agmine, rerumque mole obruare, ubi, utraque conferendo, judicium feras, etsi multi sunt, & graves hujusce ordinis duces, quos equidem sic honoravit sapientiae fama, ut quaedam quasi oracula suspiciantur, unum tamen, & alterum in medium proferam, meo judicio cautiores, ut quàm minimis intervallis, haec tam longa, & perdifficilis peregrinatio contineatur. Thomae igitur Aquinati, cui primas deferunt, quotquot Theologica cujusvis generis tradunt; cum quo collati ceteri omnes, quintae classis omnimodè videri possunt, Danielem Concinam, qui nuperis explanationibus, totam hanc disciplinam mirabiliter illustravit, & Genettum Gallorum Antistitem canonum eruditione, & sententiarum maturitate gravissimum, aut si quos alios ejusdem notae, & centuriae viros malueris, consectaneos adjungere, ut viam faciant, mihi maximè probaretur. Alter Theologorum curriculum premit. Alter canonas, severiorem scilicet disciplinam, quae ex illo penu depromitur, consectatur. Sic alter alterum temperabit. Et canonicae severitatis jussa, Theologicâ ratiocinati-

one mitescent, & Theologica ratiocinatio plus aequo aliquando sophistica, & peracuta, libramento quodam adhibito, ab Ecclesiae regulis, & institutis, non ita procul abscedet.

Quòd, si quis limis oculis, haec tua studia respexerit, id enim commune mortalium est, philautia laborare, si me audis, minimùm satagas. Effraenatâ, & corruptâ morum licentiâ plerique abripiuntur. Palpari amant, blandèque attrectari. Quare iis magistris, conniventibus magis, libentius assident, & aggregantur, quàm aliis longè doctissimis, qui deploratis vulneribus manus adhibent peritiores. O te beatum ter, & quater, si jure possis de te praedicare, quod Seneca gloriabatur. *Quae ego scio*, summus ille Philosophus dictitabat, *non probat populus, quae probat populus, ego nescio.* Tu verò egregiè de re Christiana merebere, si hanc docendi viam virtutibus patentiorem institeris, illudque efficies, ut qui tibi dant operam Auditores, de omni statu, consilioque totius vitae, sapienter judicent, haud optima quaeque rati, quae magno assensu recepta sunt, sed quae magnis momentis valent. Alterum quippe est, ad similitudinem vivere, quod est pecudis, alterum ad rationem, quod est hominis, in apertâ, & perspicuâ veri luce versantis.

Epist. 29.

NOCTIUM SARMATICA-RUM VIGILIAE.

Inter Bonos Viros, ac Deum amicitia est conciliante Virtute. Sen. lib. de Gubern. Mundi.

Altum quiddam est Virtus, excelsum, & regale, invictum, infatigabile. Voluptas, humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio, ac domicilium, fornices, & popinae sunt.
Idem lib. de vitâ beatâ ad Gallion fratrem.

ALBERICO. ARCHIEPISCOPO. NICÆNO
EX. COMITIBUS. DE. ARCHINTO
IN. INCLYTO. POLONIÆ. REGNO
ABLEGATO. APOSTOLICO. VIGILANTISSIMO
ARCHINTÆ. LAUDIS. JAMDIU. A. MAJORIBUS. SUIS
PROPAGATÆ. CUMULATÆQUE
VIRTUTE. TRADUCE. ÆMULATORI
ECCLESIASTICÆ. INTEGRITATIS. ET. SACERDOTII
EXEMPLO. SINGULARI
OB. MORUM. SUAVITATEM
OB. OMNIGENÆ. ERUDITIONIS. LAUDEM
OB.MULTOS.MAGNOSQ.ECCLESIÆ.MAGISTRATUS
TAM. PRÆCLARE. SUSCEPTOS
MERITISSIMO
QUI. AB. OMNIBUS. BONIS. AMORE. PRÆCIPUO
ET. VENERATIONE. COLATUR
UT. IMAGINEM. SUI. EXPRESSAM
VELUT. IN. SPECULO. CONTEMPLETUR
CAROLI. MAJELLI. ARCHIEPISCOPI. EMISSENI
DE. VITA. ET. MORIBUS
COMMENTARIUM
UBALDUS. MIGNONIUS. SCHOL. PIARUM.

D. D. D. Q.

De Vitâ & Moribus Caroli Majelli Archiepiſcopi Emiſſeni, Commentarium.

CArolus Majellus Archiepiſcopus Emiſſenus, Neapoli natus, in Urbe omnium Italiæ celebratiſſima, decimo tertio kal. Aprilis anno reparatæ ſalutis Sexcenteſimo ſexageſimo nono ſupra milleſimum, ſtatim à puero, & ingenio alacri, & naturae ipſius habitu ad omnem ſeſe literarum eruditionem prope eſſe factum declaravit, in quibus ſumma cum laude mox primas obtinuit. Verùm Chriſtiani hominis illud quùm ſit praecipuum, virtute magis, quàm Literarum gloriâ clareſcere, vehementer, quod raro accidit in Adoleſcente amœniorum ſtudiorum percupido, Carolus ineunte aetate curavit, monente inprimis Bartholomaeo Lucatellio, Viro tum temporis probatiſſimo, cui ſummus deinde in Metropolitana Eccleſia, Poenitentiarii locus delatus eſt, ut adoleſcentiam ſuam non minus excoleret religione, quàm diſciplinis. Id qua ratione ſit conſeqvutus ex eo liquet, quod Ipſe & chriſtianae pietatis, & bonarum artium ſtudioſis velut exemplum ad imitandum proponeretur, eſſetque tanto honore habitus, ut Eum liberis parentes ſuis, ceteris verò omnibus, duces ſtudiorum Ejus, è Soc. Jeſu Patres ut ſpecu-

ſpeculum indigitarent, in quod, vitam inſpicerent ad honeſtatem, veraeque ſapientiae laudem, inſtituendam. Quo factum eſt, ut Eo praeſente nemo, aut agere, aut loqui quidquam auderet inverecundum, nec pauci fuerint, qui Carolum adhuc adoleſcentem ineundae vitae ſeverioris auctorem habuerint. Quod & Ipſe animo non ſemel agitaverat, perfeciſſetque, inclytae JEſu Sodalitati nomen daturus, niſi Lucatellius diu fuſis ad Deum precibus, maturaque deliberatione, nihil id tanti eſſe, quòd Eum aliò divinitus deſtinatum conjiceret, pronunciaſſet.

Aſſiduus interea, Deiparae Sacros conventus, quos celebrant pro adoleſcentibus ad pietatem formandis, Societatis Collegia, Carolus frequentabat. Cùmque eâ aetate floreret vel maximè Vir eximiae virtutis, ex ea hominum familiâ, quos Pios Operarios vocant, Antonius Torres, quo potiſſimùm Authore, Neapoli celebris illa, & perutilis Clericorum Congregatio coaluit, mirum eſt, quantum Carolus tum conſiliis, tum praeclaris ejusdem in ſe translatis exemplis, imitatione profecerit. Ea tamen ſemper fuit hominis ſolida meditantis prudens, ac ſedula circumſpectio, ut latere penitus cuperet, & ſpecie vitae minimè ſingularis, perſonam agere cum aequalibus parem, ad hominum vel invidiam, vel laudem declinandam, propterea plurimum faceret, & minimum ipſe de ſe loqueretur. Quod licet in cauſa fuerit, quare nunc tanti Viri decora eximia minimè exiſtant, ſintque in obſcuro

obſcuro pleraque & in oblivione jacentia, iis praeſertim praemortuis, quorum ductu ad pietatis ſemitam inſiſtendam, maximè utebatur; atque adeo volenti mihi ſcribere de Ejus vitae moribus, inſtitutoque, non leve quidem negotium exhibeat, in tantis tenebris rerum atque ignoratione verſari: indicium tamen perſpicuum animi illius facit, quàm integrè, quàm ſapienter de totâ, Ipſe, rei chriſtianae, ratione cogitaret.

Id enim veram inter, & perſonatam virtutem diſcriminis intereſt, quòd illa agere laudabilia, haec laudari maximè ſtudet, quum ea ſcilicet eſſe, quàm videri, haec autem videri, quàm re eſſe malit. Hanc igitur verae ſolidaeque virtutis indolem, & excellentem naturam, ita Carolus eſt adſequutus, ut quamvis Ipſe, cum impigro navoque in bonis artibus comparandis, ſtudio, & labore, certaret, nihil tamen extra ſe pateretur exiſtere, quod Eum ceteris anteferre videretur, nulla re laetus magis, quàm ſolâ conſcientiâ rectè factorum.

At quemadmodum accidit, ut quò minus quis gloriam petit, eò magis adſequatur, non diu Archiepiſcopi Neopolitani Antonii Cardinalis Pignatelli oculos effugit tanta hominis continentia, cum magno humanarum, divinarumque diſciplinarum amore conjuncta. Illud, quotquot Eccleſiarum Sacerdotia curant, Chriſtiani gregis Paſtores, maximopere plerique omnes intendunt, ut Clericorum Seminaria, quae ſunt veluti novellae Sobolis in emortuarum arborum, vicem ſuccreſ-
centis

centis origines, augeantur quàm maximè, & efflorescant. Norunt quippe, ab hoc uno totum pendere, creditae sibi plebis, ut bonum regimen, ita & sanctitatem & Religionem. Etsi enim per se ipsa clara, & sanctissima sunt eorum, qui sacris præsunt, officia, tamen Ecclesiæ magistratus perinde haberi, quotusquisque facilè intelligit, ut illorum, qui eos sustinent, virtus est, Hoc sanè consilio sapientissimus Cardinalis, dignus profectò memoria temporum sempiterna, Carolum in Seminarium adscivit, qui scilicet pubescentium plantarum, quae mox in Domini Vineam traducerentur, suarum derivatione virtutum, velut irrigatio foret, quò feliciter adolescerent. Atque hoc quidem de se tam egregii Principis judicium, conceptamque animo expectationem, mirum est, quàm praeclarè Majellus, quà doctrina, quà moribus, sustinuerit. Is ad id locorum talis Vir, qui neque urbanis munditiis, neque illorum, qui primas agere in civitatibus amant, conventibus sese exercuerat, ubi summos in unaquaque re conveniendi locus adfuit, repente cœpit clarescere, & plerisque faciem ejus ignorantibus facilè notus, omnium sermonibus celebrari.

Quod ei maximo bono fuit: Nam & excellentium Virorum consuetudine, & optimorum praeterea librorum copia auctum, ita inter artes bonas, integrum ingenium brevi adolevit, ut ejus saepè Eminentissimus ArchiPraesul, coram frequentissimo totius Cleri Senatu, quum de moralibus sci-

tis

tis disceptaretur, periculum facere non dubitaverit, vim mentis acrem, & perspicacem in difficillimis quibusque explicandis exponendisque, maximopere demiratus.

In his verò, quos sibi amicitia devinxerat, praecipuus quidam fuit Gregorius Messerius in Graecis tum literis, quàm qui maximè clarus, earumque, ut Florentiae olim Calcondilas, sic Neapoli hic restitutor & vindex: Josephus deinde Valletta optimarum ille artium fama celeberrimus, cui quum non minus ingenii, quàm selectissimorum librorum opes adfluerent, dici vix potest quàm penitus investigandae veritatis amorem, in Caroli pectus inseverit, quàmque illum vehementi cupiditate, rerum omnium scientiam cumulatiùs augendi ex summis doctrinarum, atque elegantiarum auctoribus, inflammaverit. Habent hoc mortalium ingenia, ut licèt maxima sint, & ad omnem intelligendi amplitudinem naturâ ipsâ efformata, multis tamen, iisque maximis adjumentis indigeant ad sapientiam comparandam. In his autem illud censent plerique omnes in primis esse, bonorum scilicet librorum copiam, qua qui literis operantur ad summam, atque perfectam rerum intelligentiam eniti queant. Propterea Aegypti Reges Ptolemaeos, ex eo potissimum inclaruisse, quod Viros non solùm omnium gentium eruditissimos, magnis stipendiis conduxerint, sed eos insuper Bibliothecâ ceterarum toto orbe instructissimâ locupletaverint, quum planè intelligerent

ingenium decoquere cuique optimo, etsi studiorum cupidissimo, qui librorum inopia premitur; secus verò excellere, atque augeri quotidie magis, cui librorum vis magna praestò esse potest. Quod dictum volumus, non ut vanae certorum hominum ostentationi in Bibliothecis suis adornandis, ad inanem gloriam aucupandam, subscribere videamur, sed ut potiùs magnorum Principum, & praesertim Romanorum Pontificum in coacervandis ex toto orbe terrarum, typis editis, tum verò praecipuè manuscriptis Codicibus, peregregium consilium, in dies magis, magisque tam magno literariae Reipublicae bono ratum sit atque integrum. Certum quippe est sine magno librorum adparatu, ex quibus rerum, ac sermonis thesauri expromantur, deficere omnino ingenia oportere, quum ipsa sibi minimè sufficere, minimèque adsequi possint excogitando, quod in aliorum vigiliis facile est invenire, inventumque novis meditationibus acuere, atque perficere. Hoc itaque studiorum subsidio Majellus, ex perampla Vallettae Bibliotheca, in quam se ipse totum abdidit, abundè satis instructus, quàm bono rei eventu id opis acceperit, neminem latet. Nam quum ille ad penitiora literarum sacraria, sensim pervadens, animo coepisset advertere, sibi perperam, in studiis verâ solidâque doctrinâ vacuis, florem aetatis deperiisse, exarsit mirum in modum amore sapientiae comparandae, & praejudicatis opinionibus, quae plerumque in scholis inveteraverunt,

ex

extemplo ejuratis, tum demum Philosophos introspicere, eosque assiduè pervolutare, tum naturalis historiae libros, & Geometricum pulverem, ceteraque ejusmodi, ad rerum quà latè patent, terrâ, coeloque, intelligentiam maximopere opportuna, perquirere, meditari, conferre, & quod optimum est lectionem, atque scriptionem alternare. Quamobrem tantam deinde eruditionem, & in scribendo eloquentiam, sibi facili negocio peperit, quantam adhuc bene multi, iique sapientes, & graves in judicando meminerunt.

Nihil tamen iccirco remissum à Carolo est de vitae severioris disciplina. Eadem semper castigandi corporis cura, studiumque naturae vitia, & illecebras continendi in spiritus servitute. Crebris ipse precibus orare, sese flagellis tundere, in Deiparae pervigiliis pane tantùm, & aqua dies integros tolerare: Catenis ferreis, compressa latera, prope conficere: Somnum vigiliis, & meditatione protrahere, eumque brevissimum capere, ubi necessitas cogeret. Hoc quale sit, faciliùs existimabit is, qui judicare poterit, quantae sit, & quàm maximae difficultatis, ingenium cum divinarum rerum, tum humanarum comtemplatione exercere, & dispendia praeterea corporis pati. Quod non eò scribimus, ut vel hominem è schola Coenobitarum, vel ex eremo pristinae severitatis aemulatorem ostentare velimus. Non ea sunt hujus temporis neque, loci. Verùm quia videtur plerisque malè cum hisce incommodis, quae sunt animo

permolesta, convenire musarum otia, quarum praesidium, non aliunde magis, quàm quiete corporis, mentisque tranquillitate paratur, non duximus praetereundum, quòd ad optimi Viri laudem, roburque animi demonstrandum praecipuè faceret. Equidem non esse de trivio commendationem judico Christiani hominis, & sacris Ecclesiae ritibus initiati, quod is tantopere praeter animum, etiam corpus studuerit Christi exemplis, velut imaginem, conformare. Quamobrem & inedia, & Vigiliis, & exquisitis ad cruciatum poenis, sese expiaverit, nec cubitum unquam iverit, quin crucem secum grandiusculam comitem habuerit individuam quietis. Qui mos, consuetudoque servata ad extremum vitae est, ejusque ope, ut ipse palam dictitabat, multa, & magna accepta divinitus bona: sed haec hactenus.

Interea temporis diem suum obiit Alexander Octavus, & post quinque ampliùs in menses protracta Comitiorum dissidia, Antonius Pignattellus Archi-Episcopus Neapolitanus, in quem suffragia cuncta consenserant, quarto Idus Julias ad coelo proximam dignitatem evectus est. Talis tantusque Pontifex, qualem & quantum, tum gravitate consilii, tum prudentiâ agendorum, tum in optimis quibusque, ad honores, & Reipublicae procurationem, eligendis, perspicacitate, in paucis habent diphtyca Antistitum Romanorum, ex hoc tam edito, augustoque loco ad Majellum respexit, statimque eum ad sese Romam acciri jussit. Æternæ

Urbis

Urbis ea ſemper extitit vel natura, vel ratio, ut ipſa omnium gentium, omniumque populorum perfugium & haberetur, & foret, ſive illa mortalibus armorum poteſtate, ſive legum ſacrarum latè Religione imperaret. In hanc veluti Terrarum arcem undequaque confluere, vel ab extremis barbarorum finibus, omne genus hominum ſolet, pars ut ingenium, alii ut fortunam periclitentur, ſunt enim utriſque propoſita laboris praemia. Quare multorum ad unum ſimul, idemque perſaepe enitentium aemulatione fit, ut non ſemper quibus modis intenta adſequantur, dum ea ſibi parent, quicquam penſi habeant. Hinc invidia magna illa peſtis Reipublicae, ex qua ſubinde conſpirationes, inſidiae, dolique mali. Quamobrem non ſuus uſque virtuti locus tribuitur, quin etiam non pauci, aliâ interdum, atque honeſtatis viâ, ad divitias, dignitateſque graſſantur. Huc profectus, adcitu Pontificis, Majellus advenit, exceptuſque eſt perhumaniter. Cuidam etenim ex familiaribus mandaverat Innocentius XII. ut eum adventantem domum deduceret, haberetque honorificè. Ab itinere vix refectus ad Pontificem adit; hoc quippe in mandatis erat, ut omnem ipſe moram redimeret, ſeſeque quàm citius poſſet, Principi optimo, eumque viſendi percupido veniens ſiſteret, tanta erat viri expectatio, tamque prolixa, qua Carolum Pontifex complectebatur, voluntas. Provolutum ad pedes, eâ quâ ſemper, benevolentiâ alloquutus: En, inquit, ad ſuos ſe convertens, erant enim bene

multi Romanae Aulae Proceres, quorum in primis Carolus Augustinus Fabronius, mox amplissimus Ecclesiæ Cardinalis. En, inquit, pene jactitans Innocentius, hominem peregrinum non Romae natum, nec Romano coelo, atque adeò purâ putâ sapientiae aurâ educatum, altumque. Atqui non est artium ignarus, neque alienus à literis. Agite nunc, & juniorem licet, bonamque aetatem nondum egressum scitetur, qui velit, paratum de omni genere disciplinarum, disserere. Indictâ pugnâ, congredi coeptum est, & perinde uti quisque ingenio valebat, Majellum adgreditur, ut quanti ille foret, propositis implicatissimis disputationibus, experiretur. Ex hoc ergo tam illustri sapientiae certamine, ubi diu multumque de Ecclesia, Deoque vehementer utrinque, disceptatum, Majelli fama percrebuit. Nec secus illi esse poterat, qui ex tam magno theatro, cum omnium, quotquot aderant, admiratione, quod à moribus nostris longè est alienum, discesserit, & Pontificis optimi expectationem, non modo aequaverit, sed etiam vicerit.

Itaque cum universi juxtà praehensare, gratulari, ad cœlum ferre, ac si unus quinquertio nobilis ex Olympia Victor reveheretur, hoc enim persaepe accidit, praesertim in urbe sermonum avidâ, ut si quid aut factum bene, aut nigro theta irrogandum, cujuspiam nomini tribuatur, repentè rumor in vulgus hominum manet, sintque praecones, etsi parcius laudum, liberius rerum male

gesta-

gestarum, multi admodum tamen, & prodigâ loquacitate dicaces, ut pragmatici scilicet, quorum partes sunt, eos, quibus student, immodicè efferre, quibus infensi, licentiùs obtrectare. Tam faustis ominibus, fore videbatur, ut Carolus fortunam haberet in sua potestate. Pontificis beneficentissimi non modò opinio vetus, & magna, sed etiam amor. Aulicorum judicium de ingenio, ejusque moribus aequum, & liberale. Urbis plausus, quo nihil difficilius, omniumque ordinum favor ejusmodi mehercle erant, ut non exigua, Majello, siquidem ipse cuperet, pollicerentur. Verùm id temporis in Neapolitanum Pontificatum suffectus Franciscus Cardinalis Cantelmus, Innocentium accedit, obtestaturque ut sibi Majellum permittat, neve hominem non tam doctum, quàm in Ecclesia sibi credita, maximè expertum, à sese abesse patiatur. Id in votis habere praecipuum, ut qua ipse curâ, studioque, ante adeptum Romani Sacerdotii principatum, commissi gregis negocium gesserat, pari ratione ageretur; nihilque detrimenti caperet; quod sanè Majelli operâ inprimis, se consequuturum speraret, Ut erat desponsae sibi primùm Ecclesiae Pontifex, amore plenus, minimèque popularibus suis deditus, morem Successori suo Cardinali pientissimo gerendum ratus, Virum sibi probatum, & maximè carum dimisit, multoque aegrius ipse Majellus Cantelmi petitioni concessit, non ea certè de causa, quod Romae rem suam facere, ut plerique, animo cogitasset; Sed

quia

quia & Pontificem de se bene merentissimum, vix urbem ingressus deserere adigeretur; & tantam suae exiguitatis fiduciam, quantam recens inauguratus Archi-Episcopus mente conceperat, sustinere se minime posse crederet.

Itaque Neapolim ad gregem suum Cantelmus discessit, nulla re tam laetus, quàm quòd Majellum secum reduceret. Interim quæ ad Cleri feliciorem institutionem magis conferrent, ubi clavum tenuit, cœpit sedulò cogitare, inde oppidò ratus Christianam totius populi pendere formam, morumque rationem. Quumque ille non modò bonarum artium usu, & cognitione praestaret, sed esset maximè in Graecis, Hebraicis, Latinisque literis versatus, in eo totus fuit, ut haec disciplinarum adjumenta, ad succi plenam rerum intelligentiam, tum in Ecclesiastica eruditione, tum in Physicis, ceterisque naturalibus facultatibus addiscendis, Clericorum suorum Seminario uberius accederent. Propterea, quae decebant ab Episcopo vigili, navoque, omnia suis provisa: Typorum optimorum libri; studiorum duces gnari, & sollertes, proposita amplissima diligentioribus Sacerdotia. Etsi enim virtus per se ipsam maximopere diligi promeretur, omnis tamen, tum publica, tum privata res, poena & proemio, ut ille ajebat Græcorum sapientissimus, continetur. Hoc sanè consilio, cui, rei dirigendae summam praecipuè delegaret, licet animo secum constituisset, & Majello duntaxat, id operis convenire statim ab initio incoepti

coepti

coepti, prospexisset, edixit tamen, ut qui eloquentiae provinciam omnium praeclarissimam, obire vellet, coram sui periculum faceret, eruditioribus scilicet, atque hominum opinione longè doctissimis, publico experimento probandus; Bissenis, & ampliùs, vicibus, acto conventu, de optimo deligendo, Majellus palmam praeripuit; ea quippe praestitit castitate sermonis, qua tum etiam eminebat, & lingvarum Græcæ, Latinae, & Hebraicae, quam docente nemine calluit, singulari peritia excelluit, sic ut supra nihil posset. Lato judicio Majellus pudore suffusus magis, ut erat naturâ ingenuus, & prope ad verecundiam factus, quàm erecto supercilio severus, atque adeo, ut fit, in ejusmodi literarum conflictibus insolescens, latitare penitus voluisset, elationem animi, & arrogantiam, quae sæpe mortalium plures transversos agit inflatos, nomine sapientiae potiùs, quàm re, usque eò veritus est. Sed neque potuit, fama scilicet in frequentissimam Civitatem continenter vulgata, nec si potuisset, Cantelmus non modo sapientum hominum fautor, sed aestimator acerrimus, morem homini, theatrum aversanti gessisset. Itaque, ut se Cantelmo permitteret, demum coactus, eloquentiam docere instituit: Seminarii verò regendi curam, quae magno ibi honore semper est habita, aetatem adhuc nimis imparem excusando, constantissimè repudiavit.

Dum hanc Spartam ornaret, ea doctrinae laude, quae viget adhuc & vigebit ibi maximè ad aeternitatem, ubi firmissima fundamenta jecit ve-

rae, solidaeque eloquentiae comparandae, Mathesim Carolus, & penitiora Philosophorum placita, facem praeferente Luca Antonio Portio Viro ea aetate celebratissimo, & recudere diligentiùs instituit, & meditatione perficere. Jam tum secessio coeperat, quae nostris hisce temporibus, tametsi lenius, magnis tamen, vulgatisque clamoribus, scholas agit in partes; novam scilicet Philosophandi rationem, plus aequo à veteri defecisse: Metuendum omnino esse, ne ex effraenata ingeniorum libertate, Religioni periculum immineat. His propemodum armis, Romae hostes perdundae rei Catholicae, ansam arripuisse, quòd, ni Custos Ecclesiae Deus, procul avertisset cladem, facili negocio pessum latè omnia daturos, innumeris in errorem, iisque maximis & potentissimis populis, foedissimè inductis. Sic homines, quàm par esset, pertinaciores, plusque satis antiquarum notionum vindices, quas olim imbiberant, invidiam recentioribus imponebant, perinde atque oculos mallent, ut est effatum, cornicibus configere, & non potiùs veri speciem luculentiùs investigare. Huic tam praejudicatae opinioni, ut Majellus occurreret: Erat enim illi persuasum, magnum illud, & potissimum bonum, scilicet veritatem, ad quam animus imperator rerum humanarum, cupidissimè adspirat, filiam temporis esse, ut ait Gellius, neque iccirco protinus totam extare posse, sed sensim, atque interpolatis observationibus, sese emergere mortalibus contemplandam, librum edidit

dit de justa libertate Philosophandi. In eo limites, extra quos declinare sine piaculo minimè possit, rectae rationis, mentisque regnum scientiarum insolentiùs appetentis cupiditati, unde omne malum jam inde ab initio in homines, circumscripsit, tam aequo jure, ut liberum, quum assereret, esse omnibus cogitare de natura rerum, deque efficacitate caussarum, quae oculis obversantur; de Deo secus, ceterisque ad Deum pertinentibus, quae rationem supereminent, cogitandum disputaverit.

Hinc Metaphysicorum audaciam suggillare, opportunum cecidit, quos extra chorum saltare, ubi aliena à judicio rationis sibi adrogant impudenter examinanda, contendit. Quì enim expiscari queant, sine ope Critices, aut quibus ex fontibus Criticen derivare, quos humana ratio non attingit? Hùc spectat, quam pari laude adornavit, in Poireti opus censura gravis, ea quidem, atque elegans, sed quod in ore omnium atque in oculis fuit, argumentorum acumine, ratiocinandi nitore, & profundâ quâdam, ex Theorematibus concludendi consequentia, subtilitate, mirificè instructa.

Inter haec Cantelmus vitâ discessit, & qui subinde Vicariâ potestate regimini Ecclesiæ praefuit, comperendinare diutiùs noluit, & sive hoc sibi constituisset agere, sive alienâ foret auctoritate permotus, Majellum in Scholis erudiendis, delitescentem, frustraque aetatem, viresque caussantem suas, Seminario Clericorum praefecit. Quotusquisque

facilè intelliget, cui bono fuerit Majellum & moribus, & disciplinis praeesse. Nae, si quispiam agrum suis ante vigiliis, & laboribus florescentem, per se ipsum curet, iisque seminibus conserat, quae Ipse legat, subigatque tusis glebis, & ruderibus coaequatis, in spem erigitur, futuri compendii maximam. Ita sanè Majello contigit, qui novi accessione muneris, perficere auctoritate suâ potuit, quae tamdiu in votis habuerat. Quam ob rem totus incubuit, ut studiorum ratio, quæ per Ipsum cœperat, stabiliretur, & quidquid in eam rem foret, sapientissimis institutis in posteros propagandum decerneret. Hinc graecarum, atque hebraicarum literarum cognitio, quibus omnis religio nititur, jacto funditus solo, omnibus patuit, fuitque in primis ad sacrorum captum, & ecclesiasticae antiquitatis peritiam, velut initium, lege lata, positum. Hinc exsoleta illa Sophistarum calumnia è scholis abfuit, & quod praecipuè in meditatione rerum salubre, ac frugiferum, nuperis erat experimentis, inventisque, patefactum, putidis opinionibus subrogatum. Hinc è puris fontibus hausta & morum, & temporum, & rom. juris, & Canonum scientia, totusque orbis disciplinarum adeo coepit excellere, ut loci fama vel ad exteros dimanaverit, fueritque in honore, atque aestimatione summâ. Ad hanc hominis indefessam, in promovendis politioribus studiis, industriam, mirabiles accesserunt laudes. Nam & in Eo res tota seminarii publica nitebatur; Ipse omnibus prospicere, singula providere, apud omnes

omnes adeſſe, laudare, increpare, nullis laboribus parcere. Idemque & dogmatum, & lingvarum, & canonum, & eloquentiae, & civilium legum, ſiquidem opus eſſet, ſuffectus obire magiſteria, profeſſorum identidem ceſſatione vacantia, ut unus omnium vicibus fungeretur. Quare Majelli laudem non labor aliorum peperit, neque Is per otium agens ceteros, quod frequenter accidit, officium ſuum commonebat. Hoc nimirum eſt dominum, non moderatorem agere. Ipſe in concione, in Lyceo conſultor idem, & Comes ad laborem cum ſingulis, non ſolùm multus, ſed totus aderat, ſeque, ſibique creditum gregem, in omnibus rebus juxta gerebat. Quod herclè mirandum puto, hominem tam diverſis ſtudiorum curis diſtentum, nuſquam tamen, aut vitae victûſque communitati, aut rei divinae, aut publicis ad Deum precibus, defuiſſe.

Igitur ad imitandum, cum foret omnibus exemplum propoſitum, vir non multarum imaginum, ſed maximarum virtutum commendatione, & meritis clarus, quot ſui ſimiles moribus effinxerit, unuſquiſque facilè intelliget. Enim verò magna loqui, vel ſcribere, quod etiam veteratores ſciunt, perſaepe ad ſapientiam, doctoribus nihil prodeſt. Philoſophi, ut ſimus, non verbis, ſed factis opus eſſe, veteres dictitabant. Verba quippe eloquentiam ſuâpte naturâ, facta virtutem mentibus ingignere, experientiâ didicerant. Quod Majelli, quum altiùs inſediſſet animo, illud gnaviter adla-

boravit, ut neque consilio, neque opere priorem alium pateretur, omnes diligentiâ, doctrinâ, virtutibus anteveniret. Quibus rebus, etsi ipse in obscuro cupiebat esse, ne famam incurreret, tamen, & quia optimi cujusque vita, non caret gloriâ, estque illi semper lux quaedam ingenita, quae nolentibus etiam atque invitis suffunditur, & quia in omnium oculis vivit, qui omnibus præesse cogitur, coepit esse, non solùm in celebritate, sed in admiratione cultuque omnium. Jam inde à puero ante aras Deum orare prolixiùs consueverat. Quem morem nunquam remisit, quò Eum cumque studia, vel curae traherent, noctis praecipuè horas de genu supplex, & in faciem pronus, augustissimum Eucharistiae Sacramentum, veneraturus agebat quotidie, amotione animi tánta, ut penè semineceem, aut sine sensu lapidem credidisses. Idemque sacris peractis, in faciem, charitatis incendio, quod mente conceperat, erumpente, toto ore suffusum aestum, & flammeum colorem referre videbatur. Quare singula, ubi explorantibus patuerunt; ea sunt etenim, quae diu latere minimè possunt, venerationem illi, ut habet quidquid excellit, pepererunt maximam: Defuncto Cantelmo Archi-Episcopo, Franciscus Pignatellus sufficitur. Hic priusquam Neapolim accederet, quum adhuc Romae detineretur, Majellum nomine tantùm, & sermonibus notum, Metropolitanae Ecclesiae Canonicum renuntiavit; Id sibi sanè pollicitus, quod decessores, Virum talem ma-

gno

gno futurum subsidio rei bene gerendae, tantumque Sacerdotium, quantum Neapoli praeminet, sapienter administrandi, ipsius prudentia, & probitate Consilii. Veruntamen brevi spes omnes interciderunt. Nam licèt tentatus, primùm Svessanorum Episcopatu Majellus, oblatam dignitatem constantissimè abnuerit, quum supra se ipse omnia, infra verò nihil penitus cerneret, imperio tandem Pontificis accersitus in urbem, parere cogitur, Romamque iterum petere.

Petri Sedem per id aetatis impleverat, magnum in Pontificum Romanorum fastis, veteris majestatis, & gloriae nomen, Clemens Albanus. Quae fuerint, ineunte hoc seculo, calamitates, dissidia, bella, quibus Europa tota concussa est, sciunt, qui procellam illius temporis meminerunt; extinctâ Regum Clarissimorum prosapiâ, regna regnis infensa, usque eò exercuerunt odia, ut gentium ubique, & locorum magnis copiis, & classibus comparatis, terra, marique pugnatum sit acerbissimè.

Ad haec, Religionis negocium à nova semper molientibus impetitum, tum auctâ inter Germanos Haereticorum potentiâ, alterius, ex eorum numero, septem Virorum Collegio adcessione facta. Bajana apud Gallos, insania, novis lenociniis, & coloribus propinata. Sinensium superstitiones in dies debacchatae, studio partium pertinaciùs deducto, scissoque. Haec erat facies illorum temporum foeda. Atqui Magni Leonis, cujus in clientelam, fidemque dederat sese, invictum animi robur, & fortitu-

fortitudinem aemulatus, ita Clemens gessit Ecclesiam, ut in eo foret magna, non Religionis modò, sed literarum cura. Undequaque petitis lingvarum exoticarum manuscriptis exemplis, qua in re, Eliae primum Antiochenae Ecclesiae Archipresbyteri, tum Josephi Simonii Assemani intelligentia, atque opera usus est plurimùm, Vaticanam Bibliothecam auxit, ornavit, locupletavit, atque illuc maximè incubuit, ut viris munera, non Viros muneribus destinaret, artiumque Professores graves, & omnium praestantissimos coleret, foveret patrocinio, honoribus decoraret. Quae ideo à me, siquidem opportunitas incidit, memorantur, non solùm, ut tam magno Pontifici de bonis omnibus quamqui maximè merito, debita laudis rependatur gratia, sed ut etiam quo ingenio foret, quave in literis, & literatis hominibus perquirendis, alacritate, & judicio, nemo unus nesciat. Ex hoc enim Majello magna laudis accessio, quòd Eum talis Pontifex dignum se, suaque benevolentia, & consuetudine judicarit, praesertim in tanta eruditorum frequentia, quanta illo tum aevo, Principem summopere liberalem stipabat, non laudatorem modo, sed vindicem & retributorem munificentissimum rectè factorum. Antequam verò Majellus natale solum verteret, Romamque, quò advocabatur, discederet, illud praecipuum dedit virtutis specimen, quò magis palam demissio animi fieret, qua se, suaque omnia despicatui ducere inprimis habuit. Erant illi permulta diuturnis meditationibus elabo-

rata

rata ingenii opera eximia, quae si modò extarent, virum undequaque perfectum, mehercle nostra haec, anteactis aetatibus, non invideret. Haec itaque in fascem congesta cremavit universa, illud animo intendens, ut nec vola quidem aut vestigium superesset nominis sui, quòd nisi conscripta à pluribus, dum ea publicè traderentur, in auditorum animis, & manibus consedissent, de Divinitate, de legum, de Canonum jure, de prorsa, vorsaque oratione instituta ab eo sapientissimè, penitus interiissent. Hoc fato misero, funestoque pleraque omnia consumpta sunt. Quamobrem & de Poireto censuram, & Dialogos de justa libertate Philosophandi, & lectiones desideramus. Cujus postremi operis jactura, Nicolao Capasso viro, ut erat, acri judicio minimè facili, minimèque blando, lacrymas civit, quod ejusmodi esse diceret, ut nimirum omnium veterum eruditionem, de re Ecclesiae publica, doctrina, & disserendi elegantia provocaret. Veruntamen non haec ratio tota Majelli operum paucitatis. Illud accedit potissimum, quòd ipse multa vel omnino sustulit, ne legerentur, vel mutilata vulgavit, ut minimi fierent, nominis sui videlicet celebritatem si, ut erant numeris omnibus absoluta, edidisset, inde veritus magis suborituram. Haec sunt in caussa, quare Christianum Apologeticum ad perpendiculum non exegerit, aut limatius, ut cetera, perpoliverit, pluribusque aliis aeternam oblivionem, atque obscuritatem asperserit, ut scilicet eruditi

hominis opinionem declinaret. Quod cum videret sapientum reprehensionem incurrere, erant enim, qui hoc eum nomine, suo quasi Jure carperent, praesertim ex iis, quorum necessitudine, & amicitia utebatur, conquerentibus nimirum comiter, malè ipsum de tota re literariâ mereri, quam novis usque subsidiis, suopte ingenio, Deo largitore comparatis fraudaret, hoc responsum dabat, superfluere immensis librorum opibus Bibliothecas; eas si quis adiret, fore, ut sapientissimus evaderet, siquidem vellet. Praeterea certum habere sese, fixumque animo, difficillimum esse, ut qui cogitata mentis evulgat, arrogantiam à se, atque inditam naturâ gloriae cupiditatem rejiciat. Quam ob causam, oblata Religione sic statuenti, quid mirum, si pauca mox superfuerint, ex prope innumeris, quae fuso calamo identidem exaraverat, sintque duntaxat prae manibus, vel ab incendio reliqui, vel in suis operibus supprimendis sagacitati subtracti libri, non bene multi, atque in his Apologeticus, de quo supra diximus, & alter de Neapolitani Regni erga B. Petri Cathedram Religione, ab anonymi Calumniis vindicata; qui liber occasio fuit offensionis, cuncta indignantibus, quae sacerdotium imperio praeferunt. De vita insuper Michaelis Mercati, Metallothecae praefixa, de conjuratione Neapoli conflata, atque extincta anno 1701. variis deinde exterarum lingvarum literis tradita, ob excellentiam dictionis, & rerum. Ea deinde Cardinalis Cantelmi Synodus Provincialis, quae

tantope-

tantopere & Canonum gravitate, & nitore ſtyli, in omnium ore verſatur. Par denique orationum pulcherrimarum, altera, quum juſta perſolverentur coram Pontifice, Thomae Cardinali de Tournon, ipſius egregia merita, & fortiter pro fide geſta, fide non tamen temporum, ut ait Salvianus, ſed evangeliorum, efferens laude ſumma. Altera verò de liberalibus artibus, in Æde Capitolina Etruſco lepore, & munditia nitidiſſimè compta, ut nihil magis. Haec perpauca in luce eſſe, atque in oculis literatorum verſari, per eum licuit. Inedita verò, & gravitate argumentorum, & numero, longè uberiora. His adcenſemus in poſitivam, & ſcholaſticam Theologiam diſſertationes plures, de Epiſcoporum Catalogorum authoritate Tractatum, Ortocriſim in acta martyrum, eorumque confutationem, qui plus aequo in ſuſpicionem acta martyrum, ex levibus conjecturis vocant; de eorundem Martyrum memoria, cultu, Reliquiis, feſtiſque celebritatibus, de Coemeteriis, de variis Martyriorum generibus, de ritu, ſtatuque orandi ante Martyrium; Praeterea librum omnimoda eruditione refertiſſimum, cui titulus Martyres Chriſtianae doctrinae vindices, in quo id ſibi ſtatuit, ut, quemadmodum ex authoritate Hiſtoriarum, Conciliorum, & Patrum, plerique omnes Theologi ab inſipientium erroribus, Catholicam veritatem cavent, ſolis ipſe Martyrum actis ingenuis, ſinceriſque codicibus, eandem veritatem invincibiliter adſerat. Ad haec, de moribus, Ritibus

Ecclesiasticis expositionem eximiam. Dodwellii multa peccantis, cum Cyprianicas dissertationes agit, reprehensionem gravem, de Origenismo, de Haeresibus disquisitionem, quarum initia indicantur, de communione, qua data opportunitate, gentium superstitionem, Ritusque Ecclesiae, & dipthyca in medio ponit. In primam tabulam Menologii judicium, doctrina plenissimum, de Stylitarum ordine, institutoque, quod in Oriente coeptum, in occidentem mox propagatum affirmat. De Eusebiana actorum Veterum Martyrum collectione, quam eo in sensu, quo vulgò praedicatur, ad fabulas rejicit, monetque Eusebium somniasse nunquam de antiquis Martyribus scribere, aut eorum Martyriorum historiam componere, sed in eo duntaxat operam posuisse, ut acta, & monumenta, quibus essent ab aliis consignata Veterum martyria, colligeret, eorumque collectionem emitteret. Mendacii originem, & progressum demonstrat, atque ita demum certissimè statuendum censet, quod quidem in actis antiquorum Martyrum colligendis, re ipsa praestitit Eusebius, nunquam funditus interiisse, quod verò intercidisse docent plerique omnes, nunquam fuisse ab Eusebio praestitum. De Epocha Martyrii sanctae Theodotae Meretricis, aliaque plura. Nos haec tria postrema, quod possumus, ex dispersis, dissipatisque fragmentis, quae nobis suppeditavit cl. vir Dominicus Majellus Caroli nostri ex Fratre Nepos, coalita proferemus; utinam edendo-

rum

rum omnium, quae recensuimus, eadem, ut votum est, ita etiam facultas esset, gestiret animus gaudio, si hoc tantum bonum nostris curis, atque vigiliis literarum Reipublicae adferre possemus. Est enim laudis cuique satis, qui laudati Viri nomen, & studia ad posteros propagare contendit, quò cum literis queant, Divinitus accepta sapientiae dona, vivere ad aeternitatem.

Illud autem satis mirari non possum, quòd hæc tam multa, tamque diversa, gravissimis rerum moliminibus circumventus, præsertim, cùm Romæ agens, ubi pleraque adortus est, subsecivis tamen horis potuerit tam luculenter perficere, idemque provecta jam ætate, ceteris ornamentis amplissimæ eruditionis, Samaritani quoque, & Chaldaici, & Syriaci sermonis, Josepho Simonio Assemano instituente, peritiam adjecerit, Arabicum quoque adgressurus, siquidem hiatu gutturis voces aptius proferre potuisset. Verum ad hebraicæ lingvæ captum quod attinet, ea fuit hominis fama, ut Rabbinorum schola, superba illa quidem, & pertinax, nostrisque admodum mysteriorum Sanctitatibus juxta atque pugnacissimè infensa, Majellum saepe, si quibus verborum ambagibus fluctuabat, veluti oraculum nativae, & germanissimae librorum Divinorum Intelligentiae, consuleret. Virum talem, Pontifex eruditorum hominum aequissimus aestimator, amore suo dignum censuit, quia in paucis summum. Amorem quippe suum, Clemens non proclivitate animi, aut studio,

 dio,

dio, ſed virtute, & meritis metiebatur. Itaque per honoris gradus, ut illi mos erat, ne quis unquam temere ad dignitates prorepere videretur, Eccleſiae primùm, atque aulae tyrocinio parumper exercitum, probatumque Majellum ad majora provexit, in Principis Apoſtolorum Baſilica inſigni Canonicorum ordini, non rogantem adſcripſit, quod eſt in urbe Sacrorum Magiſtra munus ampliſſimum. Mox illi taliter aucto, ornatoque, Vaticanæ Bibliothecæ præfecturam, hoc eſt univerſæ, qua latè mortalibus patere poteſt, ſapientiæ Theſaurum, toto orbe locupletiſſimum, credidit, eo conſilio, ut quam, eruditioribus Romana Eccleſia Provinciam committere conſueverat, non modo qui forent ceteris facultatibus, queis homo ſapiens & ſciens efficitur, ſed etiam lingvarum exoticarum peritia, quàm qui maximè inſtructi, eruditiſſimo omnium traderet. In hac enim Bibliothecarum maxima, & præclariſſima, ex veteri lege, inſtitutiſque Pontificum, non ſolùm, & latinè docti, ſed gnari præſertim ſcriptionum, quibus Orientis Eccleſia, pro ritibus, ceremoniiſque Sacrorum, utitur, ſtipendia merent. Virum propterea ejuſmodi ſibi quærit omnigena eruditione clariſſimum, qui his omnibus advigilando, par eſſe poſſit, ut Majellum ſcilicet.

In hoc novo Curriculo, quantum Carolus præſtiterit, facilè eſt advertere ex rebus illius geſtis. Hominem in ſtudiis omnibus enutritum, omni genere eruditionis, & rerum auctum, uſuque madi-

dum

dum, libris, & diuturnis vigiliis, à teneris solitum impallescere, illum si ponas, ubi opes scatent librorum immensæ, & congesta omnium rerum, & disciplinarum, & gentium exempla suppetunt, ingenio præsertim facili, & consuetudine animum impellente, quid fuisse tandem facturum rere? Recruduit ea tempestate querela vetus, & permolesta, quam sæpe clamore partium magno, seculi potestates instituerunt, Siciliae nempe regnum, Ecclesiae Dominio summo subtrahere connitentes. Majello mandatum est, de Jure Ecclesiæ, scribere. Scriptum deinde Judicium grave, & sapientissimum in arcem *Æliam*, ad posteros commonendos, memoriae aeternae consignatum. Exulceratum, in Gallia, Jansennii vulnus referbuit, Quesnellii tabe diffusa. Majellus, quod ex oraculo, Petri sedes edixerat, ad coercendam insaniam, momentis doctissimis propugnavit. De Jure gentium praeterea, opusculum exegeticum, quo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, ubique locorum degant, Romani Pontificis sub potestatem esse, luculenter demonstrat, jussus edidit, idemque Sinicas Cavillationes, veritate rerum detecta, mirabiliter patefecit, & sexcenta elucubrata vigiliis prope immensis, quae non est ocium referre, licet digna memoria temporum sempiterna. Equidem sentio tantam hominis eruditionem, magni illius Pontificis opinionem certè promeruisse; At vitae ipsius modestiam, & continentem cupiditatum moderationem, cum insuper Principi optimo

effecis-

effeciſſe inprimis charum, acceptumque, ob talium Virorum paucitatem. Licet enim in unaquaque re videndum ſit quatenus, minimèque deceat inſolenti vel gloria, vel dignitatum, vel opum libidine, animum rapi, difficile eſt tamen ſibi temperare, ubi, quae oculis obverſantur, univerſa, honoris, & famae aucupandae ſtudium inſpirant, ut Romae ſcilicet, magnis propoſitis laborum praemiis, ad virtutem acuendam. Hinc ambitio mortalium animos agit, quod tamen vitium propius virtuti eſt. Nam, ut ait Criſpus, gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus aequè ſibi exoptant. Sed ille verâ viâ nititur, hic, quia bonae artes deſunt, dolis, atque fallaciis contendit. Contra Majellus tantam ſibi ſtatuit, tum univerſae vitae, tum ſingularum actionum aequabilitatem, in quo decorum, atque honeſtum eſt poſitum, ut Pontifici ipſi, Viri merita, compenſare cupienti, eumque ideo, ut abs ſe peteret, peramanter hortanti quid mallet, ſatis haberet, gratum animum profiteri, proinde quaſi nihil cupere, aut nihil velle, id demum foret moderatione uti. Quamobrem, ut aulae miraculum ob exempli raritatem, Majellum Pontifex oſtentabat. Quae res illi perhumiliter de ſe, ſuiſque omnibus cogitanti, ita animum torquebat acriter, ut cuidam, ſui amiciſſimo viro ſummo, & Chriſtianæ Ethices peritiſſimo, non ſemel cum lacrymis adfirmaverit, ſe, qui genere morum omni, & poenarum ſenſu probaſſet, ad meliora chariſmata, ut

monet

monet Apostolus, æmulanda, amorem tamen sui eatenus extirpare, atque excutere non valuisse, quoad imparem de tenuitate rerum suarum conceptam Pontificis aestimationem minueret, quod facili negocio quivisset, modò in animum potuisset inducere, sibi fas esse Pontifici sciscitanti mendosè, vel temere respondere. Veruntamen observantia summa, qua Vicariam Dei potestatem colebat, & veritatis amor ingenitus suadebant aliter. Usque eò viri virtus sollertia evaserat, ut ea nimium multa, vel certè plus aequò sagax, & cauta videri posset.

In hoc itaque bivio positum, quem scilicet hinc religio incesserat, ne quid dicenti excideret, quod intimè non probaret, inde verò ne pluris fieret, quàm ipse faceret sese, angebat animi perturbatio tanta, ut iterum de secessione à curis, atque honoribus cogitaverit. Sed iterum alia commonstrata divinitus via. Quod autem potuit, illud magis magisque institit, ut nimirum procul à conspectu hominum, & consuetudine ageret, sibique vacans duntaxat recessum & solitudinem quaereret. Quae vitae ratio tamen non fecit, ut ille penitus delitesceret; quinimo, ut accidit, desiderium, quod privatione rerum acuitur, ejus augebatur magis, si quando è latebris evocatus sententiam suam rogaretur. Semper enim novum aliquod doctrinae specimen exponebat, quod antea non extiterat. Id accidit, cum de re quapiam ex multis, & magnis, quae ad hanc Aposto-

latûs amplitudinem pertinent, ageretur, consilio hominum juris inprimis peritissimorum coacto, in quo repente legum scientia uberi, solidaque instructus apparuit, non ea quidem callida & veteratoria, qua saepe, quod positum est in una cognitione, id, quò plura, & difficiliora afferre videatur, in infinita distribuit, sed ea quae prudentia juris est, quaeque legum naturam, & consuetudinis indolem, qua privati utuntur in civitate, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum, tenet. In quo justitiae fundamentum statuitur, ut pro dignitate cuique tribuatur. Id ei laudem peperit summam, quem in studiis forensibus peregrinum, atque hospitem reputaverat vulgus eorum hominum, quorum thesaurus totus in lingva situs est. Non deerant, ut semper, tum quoque inter aulicos, & Principes viros, qui de Majelli virtute suspiciosè judicarent, sive id habeat virtus periculi, ut saepe ostentetur specie, & colore tenus, intus autem sit vacua, quod certè contingit saepe, sive difficile reapse censeant mortalium plures, quod ab eorum moribus est alienum, sive commune vitium invidiae subeat animum intuentium praestantem magnitudinem, & excellentiam hominum praeclarorum. Itaque opportunum tempus convicio, quidam ex primoribus circumspiciens, coram totius aulae frequentia magna, Majellum impetit, verbisque acerbissimis rogat, nunquid ipse vellet magisterium sibi sumere latinè scribendi, sic ut pene solus excellere videretur

retur, qui tam diverſus à ceteris, & dictione, & apicibus ſcriberet, ſimulque certa indicavit, ut ſeſquibarbara, quae latinitatem puriſſimam redolebant. Continuiſſet nemo ſeſe, praeſertim in bona cauſa, ad ſtuporem Rhetoris, ſeu potius pecudis inauditum. Majellus hilari vultu, compoſitoque ad humanitatem, ſtultitiam hominis devoravit, illudque addidit liberaliter, ſe, licet veterum, in ſcribendo rationi morem gereret, paratum tamen nihilominus eſſe, ſcripturae menda, una litura corrigere, quod & continenter fecit, totumque opus verbis longè immutatis retexuit, demirantibus etiam modeſtiſſimi viri continentem animum, qui de illo tam impudenter, ac temerè experiri voluerunt.

Qua eadem moderatione uti neceſſe habuit ſaepius, in aliorum ſcriptis cenſoria virgula caſtigandis. Unum proferam Joannem Antonium Lanciſium, cujus quidem, in re medica, laudes non ſunt exiguae. Hic Majelli tempus obſidebat frequens, ut ſua politius limaret, quae cum ſermonis impuritate, & barbaria non ſemel infuſcarentur, dolanda potius, quàm limanda, viro emunctae naris videbantur. At ille, ut erat ſuavitate mirabili, & pudori parcere, & auctoris errata corrigere peramicè, & patientiſſimè ſatagebat, tanta lenitate animi, ut non docendi praeceptorem, ſed diſcendi diſcipulum ageret. Erat enim, non modò naturae habitu facilis, ſed minimè omnium cupidus laudis, cui velificari ſapientes, & probi, &

honesti homines putarunt semper vacare culpa, vel suspicione levissima. Quod fuit in causa, quare praeclarissimum, adolescentium Hispaniae Principum, magisterium respuerit, spemque omnem inde opum maximarum, & dignitatis in Ecclesiae praecipuis eminentissimae, sic sibi præcidere, quàm honoribus florere, bonisque mallet.

Propterea mirum non est, si in Clementis XI. locum Innocentio XIII. subrogato, aequè carus Majellus fuit. Spectata prudentia cum fide, & magnarum rerum exercitatio diuturna ejusmodi erant, ut eum Pontifici summo, aviti generis majestate, & Romanorum Antistitum tot domesticis imaginibus, ad Ecclesiae Principatum, si per leges liceret, jure sangvinis prope nato, maximopere commendarent. His accedit, quòd Carolum nostrum, Dominicus Riviera à supplicibus tum libellis, nunc amplissimus Cardinalis, faciebat plurimi. Hoc est vir magnus, & gravitate consilii, & prudentia agendorum, Majellum Pontifici, suo judicio probavit. Satis istuc fuit Innocentio, cur minimè dubitaret laudatum, probatumque à laudato, probatoque viro, hominem integritate, & doctrina jam omnibus notum, in oculis, & in amoribus ferre. Itaque illi, & sese, & graviora Christianae Reipublicae negocia credere. Eum de rebus implicatissimis, tanta humanitate, & fiducia consulere, ut sciscitans aliquando, quid de re quapiam gravissima judicaret, age, dixerit, fare, perinde ac tibi gerenda res foret, non consulenda,

da, eàdemque ratione utere, qua, si terrarum arbitrium, ut nobis est, sic tibi delatum foret, uteeris. Quæ hisce verbis insit laudis, & amoris praerogativa, proclive est iis duntaxat capere, qui illius Pontificis severitatem minimè popularem, & praesertim familiariter colloquendi parcissimam, meminerunt. Hinc fiebat, quòd, cum saepe haberentur de rebus difficillimis consultationes, adforet Majellus semper, deque ejus sententiâ agerentur multa, quòd Pontifex tum aliorum consilio acquiesceret, cum Carolus remotis arbitris, ea agi posse, ex consulto affirmaret. Comaclensis ditionis quaestio, quam ab Atestino regulo stare, avitis juribus, quidam Caesari persuaserant, magnis, & molestissimis curis Sacerdotium tum detinebat, veritum, ne legitima à remotissimis seculis possessione, Ecclesia dejiceretur. Coeptum sub Innocentio promotum, compositumque est. Verùm hoc, praematura morte correpto, ad Benedicti XIII. tempora, protracta concordia, tum demum patuit. In hac gravi contentione, utrinque obnitentibus partibus, hinc videlicet autoritate summâ, potentia inde in terris longè omnium maxima, Majelli sollertia, & consilium pro bona causa plurimum valuit, eamque ipsius fermè ductu manuque confectam credere, si quispiam velit, per me licet. Neque enim id dico, ut invidiosum sit in eos, quorum studio, & labore res tanta feliciter cessit. Norunt quippe omnes, tam difficili controversiae, subsidio venisse, ex Romae

aulae, forique sapientioribus viris non paucos, ut ne quid detrimenti, vel fama Pontificis, vel Ecclesia caperet, tamen quia latet neminem, Majellum cum primis dedisse operam, ut Apostolicae Sedis Jura Innocentio constarent, eaque, ut Caesari perspicua fierent, datis more suo ponderosis, & luculentissimis literis explicasse, non injuriâ quis potuit credere Majellum, ad cujus fidem, & sapientiam se totum Pontifex deferebat, nisi primas in facti hujus gloriâ, saltem praecipuas obtinuisse. Illud autem non est ambiguum, quia in omnium oculis fuit, quod Innocentius, cui natura incredibilem tribuerat gravitatem, animique constantiam, cuique majestas sacerdotalis, dictis, & actionibus pondus afferendo, conciliabat auctoritatem, & venerationem, priscis olim Ecclesiae Patribus, & Pastoribus parem, Majello, quem privatim peramanter excipiebat, tam comiter indulserit, ut publicè etiam, tota spectante aula, & benevolentiae, & honoris plenissimas significationes daret. In quo tantum abfuit, ut sibi vir magnus de voluntate, suique studiosissimi Principis gratia plauderet, ut ne oculis aliquando pontificiae benignitatis incideret, consultò latebras quaerens, in turbam sese confertissimam aulicorum abderet, praeter morem, & consuetudinem talium hominum, quibus instar est magni cujusdam boni, si quid dictum blandè, aut festivè, risusque crepitum Ejus, qui imperio fungitur, venari queant.

Plura

Plura, & magna, ſi diutiùs vixiſſet, pollicitum Innocentium, mors invidit Eccleſiae felicitati. Succeſſor Benedictus XIII. probus, & antiqui moris Pontifex, id eſt earum virtutum, quae ſupremum Chriſtiani Orbis Paſtorem decent, commendatione maximus. Is actutum Majello detulit, ſui videlicet quam ſimillimo, à brevibus epiſtolis conſcribendis, quae ad Principes dari ſolent, officium, adjecitque Emiſſeni Archiepiſcopatus, honorifico Sacerdotio collato, ampliſſimam dignitatem. Equidem ſic ſtatuo, nullum eſſe munus tam grave, tamque praecipuum, quàm ad Reges, & Principes, Rom. Pontificis nomine, ſenſa animi ſcribere. Summa etenim Deo, quàm hominibus, propior Vicaria Chriſti poteſtas ea eſt, ut niſi ex oraculo, loqui non debeat, aut deerrantes à moribus moneat, aut conſulat alieno periculo, aut benefactum merentibus gratuletur; auctoritas ad monitionem, ratio ad conſilium, ad gratulationem gravitas adhibenda. Quae ſingula, ut aequaliter temperentur, non eſt ingenii ſatis, aut mentis, mortalium cuilibet. Virum quaerunt, non hominem tantùm, virumque talem, qui utriuſque poteſtatis humanae, divinaeque jura, amplitudinem, majeſtatem, penitus internoſcat. Tum demum ſummae poteſtatis interpretem aget, quem fecerint ejuſmodi laudes, tam gravi muneri ſuſtinendo parem. Dum haec ſcribo, Majelli imaginem mihi videor meis ipſe oculis intueri, ita in Eo haec animi decora univerſa ſimul

collecta

collecta, penè ad miraculum extiterunt. Quare si quis volumina epistolarum velit magna, & multa versare, quae in tantâ negociorum mole, quantam eò temporis, Ecclesiae res obtulerunt, Majellus elaboravit, illinc profectò poterit absolutissimum, ad imitandum, exemplum petere, facilèque percipiet, quo tandem scribendi genere oporteat, deceatque Pontificem uti pro dignitate. Haec fuit hominis fama apud omnes, qui literas profitebantur. Hìc autem non est praetereundum, quòd, cum suis monitis, & pietate effecisset Pontifex, ut Ludovicus Antonius Noallius Archi-Episcopus Parisiorum ab opinione discederet, quae bonorum omnium, & praesertim rom. sedis offensionem incurrerat, Majellus studio, labore, vigiliis, Pontifici optimo nunquam defuit, donicum vir ceteroquin moratus, bonique sensûs, humano errore depulso, cum Capite Ecclesiae, ceterisque Pastoribus sanae mentis, rediret in gratiam, diemque suum obiret, sacris dipthycorum nominibus accensendus. Hoc studio tanto, & laboris impendio, quo Ecclesiae juribus, & religionis integritati adesse totus pro viribus contendebat, sic Majellus inclaruit, ut illud honoris gratiâ diceret quidam ex Principibus Viris, Carolum, praeter Dei gloriam, animarum salutem, Sedisque Apostolicae dignitatem, nihil aliud velle, posse, vel scire. Iccirco & Martyrem praedicabat, quod haec singula invictâ constantiâ, non solùm semper institerit, verùm, quod falsò plurimi omnium antefe-

runt

runt, malo ſuo, fortunarumque ſuarum jactura, & damno. Sed haec palam ſunt, quia fortiter in conſpectu omnium geſta, cum Perſonam Carolus, in obeundis Eccleſiae partibus, publicam ſuſtineret. Nunc privatim mores, qui fuerint, interea loci neceſſe eſt dicere. Dum haec itaque ageret, quae totum hominem requirebant, Majellus curarum onere maximarum preſſus, ſic ſe ceteris Religionis, & pietatis officiis praeſtabat, juxta ac ſi vacuus ab omni moleſtia, & labore foret. Vaticano in primis ſeminario, jam tum à Clementis XI. tempore, ejus vigilantiae, & cuſtodiae tradito, quò magis optimis diſciplinis, & virtutum exemplis augeretur, tam ſedulam navabat operam, ut illud eſſe duntaxat curarum ſuarum, non modò maxima, ſed unica videretur. Totus erat in eo, ut ſtudia aut politius perficerentur, aut novis ſemper notionum, lingvarum, rerumque opibus locupletarentur. Totus, ut adoleſcentibus Clericorum ingeniis, puritas eruditionis cum pietate inoleſceret. Pietatis amor ſine ambitu, ſine fuco, ſine pigmentis ingereretur, eſſetque in omnibus ſive ſermonibus, ſive factis, veritatis color ingenuus, & ſimplex animi fides. Cogitaverat de toto orbe diſciplinarum ſumma capita delibare, quod etiam exorſus, intercidere negociorum mole, & multitudine, invitus coactus eſt. Id enim jure ſentiebat, poſſe ſtudioſis literarum conferre plurimum, ſi paucis compendium, ad rerum intelligentiam aperuiſſet. Idem jam provectus aetate, & mune-

rum honorificis in aula titulis, cum primis nobilis, nihil detractum suae dignitati putabat, si se demitteret ad Clericos erudiendos, magistris vacantibus, aut imbecillis incommoda valetudine. Sed nec pepercit sumptibus, ubi aut Ecclesiae ratio, aut periculum postulabat. Illud equidem non praeteribo, quanquam nonnullis leve visum iri putem, quod, quia inopiâ interdum premente, Juvenes initiati, à bonis artibus arcebantur, ingenio, & moribus Christianae rei satis admodum profuturi, siquidem bonis coemptis auctoribus dedissent operam, ipse omnibus quae necessaria erant, liberaliter providebat. Seminario interim pecuniae summam multò majorem, quàm fortasse ex proventibus poterat, pependit largiter, commodis alumnorum amplificandis, augendoque docentium numero, & reditu. Cumque aedes angustae confluentium multitudinem minimè caperent, aedificium peramplum, & decens extulit, Benedicti XIII. beneficentia, à sedibus excitatum, quod elegantiâ, nulli in urbe, pro recipiendis adolescentibus, domicilio secundum est, studiorum verò fama cum paucis celebrandum. Quinque, & amplius aureorum millia Presbyteris Operariis, quos pios nominant, pro construenda divo Josepho aede sacra transtyberim elargitus, sibi signum poni, aut titulum vetuit ad memoriam posteritatis, in quo tamen nescio an bene communiter audiant, qui modestissimi Viri monitis tam sanctè, & Religiosè paruerunt. Si virgo nu-

bilis

bilis desponderi propter paupertatem non poterat, dote cassam & inlocabilem juvabat aere suo liberaliter, quò convenientibus nuptiis consuleret honestati, unoque die centena plura miserorum calamitatibus sublevandis distribuit, ut posset meritò dici, omnia ei cum pauperibus fuisse communia.

Cum eo foret loco honoris, & fidei Carolus, quem quisque noverat, & latera, atque aures Pontificis officii causa obsideret, conjectare cuique facile est, quantum homines, qui quemcunque possunt, largiundo parant, eum promereri satagerent. Ex hoc enim genere non desunt multi, præsertim in summis, & magnis imperio, & ditione principatibus. Majellus, qui nunquam vero pretium, aut gratiam antetulit, tanta fuit abstinentia, ut nec levidense munus, à quopiam, nec oblata à Principibus Viris, ipsisque Regibus dona, queis benefactum remetiri quandoque student, acceperit, cui nempe bonum, & æquum divitiis carius, fidesque opibus melior. Illud memorandum, solitum dicere commonentibus, ut sibi aliquid pro inopinis casibus reservaret, Sacerdotibus crimen esse, Episcopis verò prope hæresim imputandam, congerendae pecuniae cupiditatem. Plurima quidem ad hanc laudem spectantia proferre possemus; sed modus adhibendus est, ut ad extrema veniamus.

Decesserat Benedictus; & Clemens duodecimus ex Corsina gente cœlo, terraque clarissima,

qui justitiae fama, & magnificentia florebat, Pontificatum inierat. Illum, ut qui diuturno urbis usu, atque aulae consuetudine omnium ingenia, & merita expenderat, Majelli totius vitae ratio, prudentia, doctrina, pietas, jam inde à primo ejus adventu, latere non poterat. Itaque ratum habuit statim Caroli munus, commemoratis praesertim studio, fide, labore ipsius, atque innocentia mirabili, verbis amplissimis. Quod quidem est observatione praecipua dignum in Principe ea singulorum notitia praedito, ut Clemens, cujus summa laus semper extitit, candor animi, & veri diligens comitas cum majestate conjuncta, ut quidquid diceret, ex sententia diceret, quin aut vereretur praesentes, aut absentes insimularet, usque eò sibi constans, ut semper in loquendo veracissimus, in cogitando magnificus, in agendo pari cum summis Regibus fortitudine, liberalitate, splendore certaret. Erat id temporis, quo ad vindicandam sanctissimi decessoris famam, inquirebatur severiùs in praeposteros quosdam homines, quorum nomina compilationis, aliorumque scelerum oblatis criminationibus, verè an temerè, qui sciunt, viderint, traducebantur. In hac procella, cùm fuisset Carolus in familiaribus emortui Pontificis, ex præcipuis intimus, cui magis is crederet, ita sanè, ut graviora, & majoris molis negocia sine ejus consilio nunquam transigeret, suspicione, ne quidem levissima laboravit, quod cum esse unum ex paucis praedicarent omnes, qui veluti evectus navi-

culâ

culâ illâ divinitus fabrefacta, magnis turbinibus rerum, & scopulis supernatasset. Illud autem asseveranter dicimus, Carolum Majellum Clementi Pontifici acceptum, gratumque non fuisse solùm, sed tanta opinione habitum, ut nunquam se vidisse hominem affirmaret, qui adeo excelleret eruditione, ingenio, moribus, quique de se, suisque meritis, & laboribus tam demisse, humiliterque sentiret. Quapropter nemo unus dubitavit tam praeclarum Pontificem, in cujus laudibus summis illud est praecipuè repositum, quòd praemiorum dispensationem virtutibus, & benefactis singulorum aequaret, de hoc tam egregio Viro perhonorificè cogitasse, quem scilicet honestandum eminentioris dignitatis ornamentis designaret. Sed haec Majello prorsus extranea, neque enim ipse aut vigiliis, aut curis aliud unquam suis proposuerat, praeter Deum. Nolo hic dissimulare calumniam, qua nomen ipsius delatum tum temporis fuit, cum scilicet in aliquos opinio incessit, illum decubuisse confectum moerore gravi. Casu enim accidit, ut jamdiu gliscentis vis morbi ingravesceret, ubi prima Purpuratorum renunciatione facta, quam Clemens sanxit, neglectum sese, ac veluti exauguratum accepit. At hoc vitio potius Romani coeli vertendum puto, in quo vetus est illa persuasio certorum hominum, qui de occulta qualibet animorum latebra investiganda solliciti, temere fabulantur, & somniant, si quem Comitia respuerint in Pontificem eligen-

dum, aut aliquem ex eo numero, qui in Sacrum Senatum cooptandus videbatur, ratio, vel casus exegerit, statim vulgi rumoribus circumferentes, si forte hic vita migraverit, eum decessisse angore animi saucium, ac repulsae latae aegritudine exanimatum. Id quàm stultè Majello appinxerit assotorum vecordia, testis est ipsius perpetuus, & continens vitae cursus, quem memoravimus. Licet enim multis, & magnis virtutibus hic semper processerit, eò tamen totus collineare visus est, ut ad unum scopum consilia, & cogitationes intenderet, ne videlicet sub aspectum caderet, ne foret in oculis, ne apparerent uspiam ipsa vestigia pietatis, & eruditionis suae. Rem dicam paucis notam, sed vivo adhuc teste faciente fidem certo certiorem, indubitatam, & perspectissimam.

Cùm itaque Clemens Senatum, rogatis Patribus, supplevisset, nec foret Majellus in album Purpuratorum relatus, non pauci mœruerunt casum, cujus acerbitatem ut mitigarent, illum conveniunt, condolent, conqueruntur fortunae vicem. In his Victorius Martinius Vir Cl. & praesens Romani fori ornamentum, amicitia diuturna, atque usu parium studiorum, cum Carolo conjunctissimus. Ut haesit! ut miratus est! ubi hominem vidit eadem frontis serenitate exporrectum, pacatumque, ut nemo magis. Hinc, quem putaverat ex magna perturbatione, ac moerore tranquillum facere, nihilo minus egere sensit, quàm verborum levamine, ad perferendum eventa, ut virtuti magis

gis ejus gratulari deberet, quàm consolari dolorem. Illud tandem audivit ex Augustino, dignum Episcopo, & Majello responsum, non esse cur doleant, qui in stadio currunt Ecclesiae, & laboribus conteruntur, si quando praemiorum spe, atque illecebra deturbantur, *nam saepe negat misericors Deus, quae iratus concederet.*

Inter haec quarto Idus Januarias anno 1730. affectione, quam diutius aluerat, praecordiorum vehementiùs furente, repentè jacuit. A qua, ut paululum respiravit, Neapolim medicorum consilio profectus est. Poterat cum viro hujusmodi, & qui rude donari jam pridem debuisset, agi liberaliùs, quàm fuit, ambitiosorum astu, interceptis stipendiis, quae tamdiu vigiliis, & laboribus indefessis, quaeque, quod caput est, surrogatus sine mercede ulla, non paucos annos meruerat. Neapoli nihil profecit quadriennium decumbens pene integrum, nec coeli benignitate, quod patrium erat, nec medicae artis ope, quae ibi floret admodum, refectus est. Duo maximè morbum pepererunt, quo à longo jam tempore tentabatur. Pertinax in studiis labor, & Christiano more laudabilis, sed sanè nimia corporis afflictatio. Tenui natura, & nervorum nexu minimè validus, cui nimirum per alimenta saepius subtracta, jejunii religione, parum virium accederet, plurimum vigilando, cogitando semper, precando assiduè, infinita scribendo, agendoque, succubuit oneri. Primorum viscerum sedes, in quibus molitur

litur cibus, fuccorum refluxibus indigeftis, ideoque acefcentibus, contaminari coeptae. Hinc diffufa paffim tabes, quae latè per alia corporis exta, ductufque pervafit, donec exaucta in humoribus falium acerbitate, deperdita in folidis partibus mollitie, & virtute, & capitis penitioribus fibris obftructis, ex Chyli, & fangvinis contagione, potuit brevibus crebrifque motibus quati, potuit tumefcere pedum aedemate, & cachexia, quam vocant, miserè laborare, fic tandem, ut inopinata correptus totius corporis concuffione, luxata partium compagine, finem vitae fecerit tertio Kalendas Januarias anno 1738. eâ ipsâ, quod cupidiffimè optaverat, natali Chrifti Domini dierum celebritate folenniter redeunte.

Cùm tamdiu ægrotaffet, multa, & magna prodidit virtutum exempla, qualia fcilicet pietate magis, quàm aetate provecta, viro competebant. In maximis cruciatibus, aut nullam, aut vocem emifit Chriftiano homine dignam, illud repetens frequentiffimè: *Juftus es Domine, & rectum judicium tuum.* aut alterum par conftantiae, & Religionis indicium: *ficut Domino placuit, ita factum eft, fit nomen Domini benedictum.* à quaeftibus, & ejulatibus, quos ipfa natura folet injuffos à miferis extorquere, abftinuit femper. Optionem aliquandò factam, ut liberè diceret, medicis conniventibus, utrum mallet, omnem exclufit, ne quid ageret ex voluntate, & ftudio fui. Quare, quidquid propinandum apponebatur guftu, olfactuque afperum,

vel

vel insuave, tacitus ingerebat, cumque adverteret Christum JEsum, à quo cuncta nostrorum morum ratio est repetenda aegro corpore, atque imbecillo fuisse nunquam, monebat iccirco Christianum hominem ex una Divini Servatoris Domini extrema vitae parte acerbissima, habere ad imitandum exempla invictae, in tolerandis doloribus fortitudinis, & constantiae, in quae veluti in speculum, affecti calamitatibus & consequentibus vitam incommodis, intuerentur omnes. Haud sanè alio animo, propositoque vim morbi tantam, tamq; diuturnam Majellus perferre valuit. Quapropter id assidua meditatione reputans, cum acerbiùs langvore, atque aegritudine prosterneretur, ex transverso manibus supra pectus ductis, in modum crucis, usque eò perstitit, ut ad motum naturae, vel animo deficientis, vel vehementer concussae nervorum quassu, nihil penitus moveret sese, in eodemque statu, nunquam angoribus fractus, aut conturbatus tremore corporis, staret. Quin, cum à prima adolescentia Deiparae semper aliquod ingenii specimen quotidie exhibuisset, idemque toto suae vitae cursu, veluti munus Parenti optimae & beneficentissimae pependisset, eo uti more perseveravit usque ad extremum, quod si per eum licuisset, non modò volumina, sed libros integros selectissimorum carminum haberemus. Utinam vir tantus ad hanc aetatem superstes pervenire potuisset! Benedictus XIV. omnium quotquot fuerunt Pontificum, post hominum memo-

riam, ſapientiſſimus, quem annare, & perennare diutiſſimè Eccleſiae bono., Deus optimus ſinat, locum meritis parem, certo certius, Carolo decreviſſet, quem judicio illo ſuo, quo cunctis mortalibus praeſtat, in expendendis hominibus, non ſolùm aequiſſimo, ſed prope Divino, nunc etiam probat, & praedicat, deque ipſius virtute, integritate, moderatione ita commemorat, ut in ejus ſummis laudibus excipiat nihil.

Vixit annos ſexaginta ſeptem, octavo ineunte. Poſt obitum elatus eſt honorificè, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia, & in Eccleſia Principe Neapoli, ubi vitam poſuit, tumulatus.

Hanc de Caroli Majelli vita, & moribus collectionem ab iis ipſis accepimus, quorum Ille & conſuetudine utebatur familiari, & quibus cum, multas diei horas, egregiis de virtute confabulatis ſermonibus, traducebat. Suntque adhuc teſtes actorum Ejus & vivendi modeſtiae, & ſeveritatis, quâ rom. aulae Proceribus anteibat, ut ne cuipiam ſuſpicio incidat, voluiſſe nos, aut veritati detrahere, quod eſt nequiſſimum, aut multa, dictione magniloqua amplificare, quod hiſtoriam ſcribenti indecens, & maximè inverecundum.

Ceterùm, cum haec tota factorum ſeries, vitaeque deſcriptio inſerta jam in magni operis prolegomena circumferatur, quare iterum cudi, formiſque novis, & elegantioribus evulgari oportuerit, ea ratio eſt in primis, quòd ita ampliſſimae digni-

dignitatis Viro, & in Ecclesiae gradu ex potioribus, & sublimioribus collocato, ad sui Cleri mores instituendos, maximè collibuerit, cui nolle acquiescere, inopem urbanitatis hominem arguisset. Deinde, quia, cum in magna rerum farragine, ea tota narratio penitus delitescat, ne in tenebris perpetuò jaceat, parvi operis complexione conclusam, Eam ad manus hominum pervenire commodiùs posse confidimus. Id autem mihi persuasum omnino est, Eorum quoque mortalium, qui in curriculo bene moratae vitae versantur, virtutes, habitusque animi eximios memoriam temporum promereri. Neque ea solùm literis consignari debere, quae praeliorum dumtaxat strepitu miscentur, & tubarum sono. Haec gloriae quidem, & commendationis plenissima, quia fortiter, & laudabiliter gesta. Attamen ex ista laude plurimum oscitantiae adversarum partium debetur, plurimum praeterea sibi locorum opportunitas, rerumque humanarum domina fortuna decerpit. Verùm animum temperare, motumque cupiditatis praecipitem, injecto fraeno rationis, & religionis compescere, haec est laudum ceterarum maxima, quam omnis omnium gentium aetas vehementer suspexit. Multi sunt oppidò, quibus corpus voluptati, anima oneri est. Hos sapiens quisque contemptui habet, eorumque vitam, mortemque juxta aestimat, ut scilicet brutarum pecudum. Si quis ergo pacis artibus florere, deque re literaria mereri maximè, & in

ethicae etiam Chriſtianae moribus praeſtare contenderit, iniquum foret, ſi talis, tantuſque vir, ejuſmodi naturae bono praeditus, invidioſâ hominum oblivione ſileretur. Nam & injuria virtuti fieret, quae in unoquoque, cum ſplendeat, ſpecie ſui animum paſcit, praeterea mortalium reliqui, praecipuo ad imitandum exemplo, perperam fraudarentur.

NOCTIUM SARMATICARUM VIGILIA ULTIMA.

Dominus dedit verbum evangelizantibus virtute multà *Ps: 67. v. 11.*

Ego verò Evangelio non crederem nisi me Catholicae Ecclesiae commoneret auctoritas. *S. Augustin. Lib: cont. epist. fundamenti Manichae. c. 5. T. 6.*

Viro Magno

MICHAELI de Granow WODZICKIO
Decano Cracoviensi Abbati Mogilae Et Cervinensi
Eqviti Aquilae Albae Torquato
Et incluti Poloniae Regni Pro-Cancellario
UBALDUS MIGNONIUS S.P.

COgitanti mihi Praesul amplissime, mearum noctium Sarmaticarum vigiliis supersedere, quibus me ea praecipua attigisse, unde nostra Gymnasia progredi benè ac feliciter possent, haud temere intelligebam, eò maximè quia reliqua à multis fusè & basilicè ad umbilicum perducta pro studiorum emendatione jam fuerant viris summis & famâ Critices praeclarissimis, idque ex nostris vir acri ingenio, & subacto judicio Stanislaus Konarskius, cui suorum mores & instituta penitus patent, jam pridem laudabiliter egit, en aliud disserendi genus grave atque implicatum à summo Antistite divinarum humanarumque rerum gnarissimo nuper propositum ad scribendum me revocat, cogitque etiam invitum, dum terram video, pro suâ in me auctoritate iterum navigare. Is unus est ex multis, cui dignitas Pontificatûs, & magna no-

minis, jurisquè in populos amplitudo non ocium aut desidiam, quod saepe accidit, sed incredibilem pascendi Gregis quà verbo quà exemplis sollertiam, & in deligendis, Pastoribus, in quo summa rei Christianae consistit, perspicacissimam Sagacitatem inspirat. Cumque id derivare inde maximè autumet, unde Sanctitas omnis & Religio manat, à verbo Dei scilicet rite & sapienter Christianis plebibus explanato, hanc ideo mihi spartam ornandam suo quodam jure imperavit, ut quae ad hanc Eloquentiae partem adferri, quaeque ab illâ exigi exturbarique sit opus, quò sanctè atque utiliter exerceatur, liberè dicam.

Quod cum facere aggredior, ut ne invidiam & certorum hominum reprehensionem incurram, qui malè partâ plerumq; nominis opinione abutuntur, ut aliorum studijs insiliant, ad Tuam mihi, Vir Magne, auctoritatem confugium quaero, qui & in re Ecclesiae publicâ, & in Regni omnium maximi, & nobilissimi magistratibus tantum laudis & gloriae avitis titulis addidisti, ut iis, qui patrocinii Tui ope florent, nihil sit omnino pertimescendum. Cur autem mihi non sit sperandum quod omnibus tam perhumaniter tribuis? Tua Lenitas animi, Tuaque erga

Literas

Literas, & politiorum disciplinarum cultores benevolentia, quam toties Scholarum nostrarum ratio implicata aliquando rebus difficillimis experta est; Tua Pietas & Sacerdotii gravitas summa cum promovendae Religionis Studio conjuncta, Tuus denique liberalis animus, quo nihil audeam optare prolixius, illud omnino efficit, ut fidentiùs eximiam erga me voluntatem Tuam mihi pollicear, & de concionandi ratione sermonem instituenti, amplissimi nominis Tui fama ingenium acuat viresque suppetat paratiores.

Non desunt enim ubique gentium homines, qui limis oculis omnia quaecunque prodeunt ex operâ meliora conantium adspiciant. Invidia namque magnum nostri generis malum sicubi debacchatur, in coetu planè Literatorum quàm maximè. Alter alterum vellicat, nec Linea est aut pagella, cujusquemodi fuerit, quae in mediũ exeat, quam omni carpae istae capreae continuò haud perstringant, quodq́; magis pudendum, haud perstringant modò, verùm etiam ad discrepantia, totoq́; Coelo à scribentis animo aliena temere non detorqueant. In hac Ego navi nuper, cum meas de variô genere disciplinarum dissertationes, pro nostrorum studiorum tempe-

temperatione edidissem, vehementer obstupui fuisse aliquos, nescio an vecordes, an hebetes dicam, quorum eò processit insania, ut quae malè feriatis hominibus, & in Literis oscitantibus, qui ubique agunt, adpingere sum coactus, ea cuncta Polonorum Genti invictissimae tribuisse me dixerint, cum ibi Literarum vitia sint plurima, ubi sunt literae. Illis Ego parcerem perlibenter, si quidem aut sermonem praefractum, aut barbarum meorum operum pronunciassent. At enim ingrati Animi vitium honesto viro exhibere, de quo scilicet egregia natio tot magnis honoris amorisque significationibus tam liberaliter meruit, id est profectò malitiae cujusdam & perversitatis propemodum non ferendae. Quod ut funditus teneas, Praesul amplissime, paullisper attende.

Ex Antipodum genere hominem nescio quem obviam habuisse me contigit sui plenum, rerumque omnium atque mortalium fastidiosissimum, cum quae ad Balticum jacet, Borussiam magnis itineribus perlustrarem. Neque Ego ipsi notus, neq; Ipse mihi. Sed quemadmodum ille sibi sapere videbatur, eratque jam diu ad hasce oras advectus, ut erat audaciâ, & verborum colluvie potens, totusque in Libris non versandis intimè,

sed obiter delibandis, sciolorum more, habitabat eùm de multis loqui, tum etiam de meis nuper editis elucubrationibus coepit. Laudabat quidem dictionis munditiam, numerum, castitatem. Sed eam subinde Literis Polonorum, & Literarum studiis iratam atq; infensam magnis hiatibus praedicabat; quòd ipsorum in primis Linguam ad exoticas rejecissem, & cum Scythicâ comparassem, quasi verò ante barbariem Scythia non summis viris floruerit (a) *& nobilissimas è sinu suo populorum origines non profuderit. Quod Romae Sarbievium totum Italum & Latinum fuisse factum adseveraverim, quem tamen Ipse prae se coenum esse putabat. Quod ad causas potius rerum investigandas, quàm ad effecta, Pluche invito aliisque reflantibus, inutili prorsus operâ desudaverim, Brutisque propterea animam incorpoream tribuerim, quo posito de humanae Animae dignitate actum foret, cujus natura aeviterna nullo rationis lumine probaretur; Eamq; iccirco opinionem errori proximam, atque haeresi nescio cui limitaneam, eâ praecipuè de causâ quod fundamentis haereticorum staret, pertinaciter affirmabat, homo scilicet Americanus, & Petropoli*

pridem

(a) Anacharsis Philosophus admirandae Sapientiae; Dionysius Exiguus Collector in primis Sac: Canonum, aliique plures è Scythia extiterunt.

pridem, cum absurda garriret, magisterio, jurique docendi publico interdictus, quod Roma non judicat, notâ Ipse erroris atque haeresis adspergebat; Quē Ego leniter excipiens, atquî, coepi, tota illa res cò collineat, ut bonae artes universae, compendia cum fiant, brevioribus spatiis percurrantur. Ibi praestantium vestigia veterum releguntur, quibus insistere necesse est, ut ad aliquam perfectionem in literis enitamur. Ibi de arte exemplariâ naviter ediscendâ, non ex trivio aliquo aut foece, sed ex penore Auctorum uberi, quos Antiquitas consecravit. Ibi scriptorum succum & sanguinem, ibi nervos & artus, atq; compagem condendi carminis, & solutae numeris orationis elucubrandae, facilè inveneris nisi coecus, quodque est praecipuum, ordinem in legendo, in scribendo methodum ex studiorum censoribus eruditissimis adsequere. Quod unum erat Auctori molimen, quamobrem Sarmaticarum Noctium vigilias Gelliano more vulgaverit. Non illi erat de Trinitate, aut de Angelorum myriadibus disputandum, at succum quaeras ex mirotheciis Philosophorum, aut Theologorum gazâ. Eruditio tota alia res est, quam paucissimi comparatè ad alia genera disciplinarum norunt. Unde ait Cic: Philosophos & Ma-

thema-

thematicos plures, oratores verò, in quos omnigenae eruditionis opes debent confluere, quam paucissimos inveniri. Quod si Gallos, atq; Italos, adde etiam Hispanos ad Latinae Linguae salem, & spiritum assequendum aptiores autumat, non inde inferas inter Polonos Latinissimos non extitisse, quos inter, & Orichovium, & Neocomiensem, & Cromerum, & Stanislaum Lubinskium Plocensem olim Episcopum anno supra millesimum sexcentesimo quinquagesimo tertio eâ purioris Latinitatis famâ florentem in primis numero, ut Eum Sadoleto, Manutio & Bembo epistolarum scriptoribus Latinarum elegantissimis comparandum putem; Sed quod ex etymo Latinorum Gentes illae cum à Latinis profectae fuerint, minimo negocio possunt Latiniora cogitare & proferre, iisdem initiis, iisdemque radicibus cogitationum, verborumque Earum Linguae adhaerentibus, quae in ceteris desunt, quarum origo neque à Latinis deducitur, sed vel á Scythis, vel à Cimmeriis, vel ab Illyricis, cum sermonis etymo propagatur. Quare cum suus cuiq; Linguae sit sapor atq; elegantia, non ea tamen est singularum, quae cum Latinae Linguae ratione consentiat. Iccirco Latinis verbis loqui, sed non Latinè poterunt,

B terunt,

runt, nisi tandem aures perfecerint teretiores, & sensa animi non vernaculâ sed Latinâ mente tingantur. Id quod iis etiam accidit, qui sciunt Gallicè balbutire. Verba sunt quidem Eorum Gallica, genius autem & spiritus nihil minus. Propterea id temporis cum fabula vel cothurnata, vel scenica modulis datur, Italica tota est eâ de causa, quod cum haec auribus accinat consonantium elisione suavior, theatrum ubivis gentium jamdiu feliciter occupavit. Ceterũ, quae de naturae causis minimè investigandis, Auctore Pluche, deblateras, & praepostera sunt & absurda. Tuus iste signifer Literarum Rollino Gallorum historicorum celebratissimo divinante, nullius coloris homo est, mihi crede, quem tantopere praedicas, eiusque Philosophandi rationem vir ille magnus quasi praesentiens ad pueros elementarios & balbos ut putidam amandavit. Et licet Rollinus ipse ut fatetur (a) *philosophicas disciplinas vix attigerit, & nunquam docuerit, pro sua tamen sapientiâ, atq; aequitate judicii, mirum est quantopere Philosophiae studia commendet, eaque ut penitus exhauriantur, contendat. Denique, quod humanae naturae praerogativa atque*

(a) Lib. 4. de ratione bon. art: tradendarum.

que immortalitas, animâ brutis incorporeâ attributa periclitetur, ut somnias, ii viderint, qui ista sentiunt. Sunt enī multi & graves, & ex Catholicorum Scholâ doctissimi. Tu verò nequidem à limine salutasse philosophos, nec ea prorsus aut legisse, aut intellexisse videris, quae in eam rem perfunctoriè noctium Sarmaticarum Auctor disseruit. Sed inclinatâ iam die pugnae finis impositus, viãq; porro perreximus jam susceptam non ineleganter tamen, sed mutuis habitis salutationibus, comiter & urbanè.

En Tibi, Praesul amplissime, narrationem ex qua facili conjecturâ deprehendas non deesse mastigias, quibus aliena carpere una vacatio est, interea dum sibi inter ceteros eminere Cynico dente gratulantur & plaudunt. Verùm ut quô respicit oratio mea revertatur, apertissimè intelligis Vir omni laude, & commendatione major, eam esse miseram scribentium id temporis conditionem, ut sibi à putidis undequaque veteratorum calumniis & sibilis praecavere opus habeant, cumq; aliis prodesse satagant, in suspicionem nequiter traducũtur vel proditae, quae debetur sũmis, & maximis viris gratiae, vel saltem impudentissimae, qnae decet neminem, procacitatis. Itaq; quantum,

mihi Tui nominis patrocinium sit profuturum, facile omnes vident, qui sapiunt, in re praesertim, quae non majorum gentium duntaxat, sed etiam vulgi opinionibus aestimatur; quô illud certè attinet Caecilianum — saepe est etiam sub pallio sordido sapientia. *Cum etenim pro concione dicimus, quotquot adsunt, judicium ferunt, pensitantque momenta causae, quam agimus, librâ ingenij suâ, & si Lelegae, & Gumiae fuerint. Idem ferè accidit ubicumque. Anicula etiam edentula, & penè delira, quae lanam columque tractat, vermiculatur, sibique sumit de Euangeliophoris, ut Erasmus loquitur, judicare.*

Illud ergo in primis ingenuè fateor me nec Polonicè, nec Germanicè quidquam scire. Quamobrem sibi, quae Ego proferam, vel sacrae Eloquentiae canonas statuam, vel vitia corruptae orationis reprehendam, adscribere, & imputare poterit nemo. Omnia ex fontibus derivantur suis, & quae ex fontibus manant, quemadmodum singulis praefixâ lege conveniunt, ita nulli detrahunt reprehensione. Ceterùm ut sua cuique laus tribuatur, Germanorum & Polonorum Ecclesiastarum studium, atq; frequentiam demirari, & suspicere satis nequeo. Sacris quibusq; lucibus

lucibus ad populum planè & ad captum, & praesertim de moribus concionantur. Cathechistica illa dicendi ratio magis frugifera, magisq; Ecclesiae regulis & institutis quadrat. Praeterea cum sit in anni totius partes diesque sacros & mysteriis sanctioribus initiatos laudabiliter distributa, neq; ocio liquescit populus, nec sacerdotes pandiculantur, nec templa in moerere & solitudine contabescunt. Quod eò dicimus ut quae efferri digna sunt laudibus, perinde à nobis ornari omnibus pateat, ac quae minus probantur, reprehendi. Quis enim queat illa varia & mirabilia ejulandi lugendiq; genera, paedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis adlisiones laudare, iuxta ac si in luctu, & supplicationibus, capillum evellere; ut ait Bion, quasi calvitio; dolor & crimina levarentur? Sed haec omnia faciunt opinantes ita fieri oportere. (a)

Haec ubi in quadrum numerumque redegero ab Eloquentiae Patribus Tullio Quintiliano & Longino affatim explanata, ut quae sunt partes sui muneris sustinendi Ecclesiasta funditus sciat, res est mihi Praesul amplissime cum viro summo

(a) Tuscul. disput. L. 3. Pag. 204.

summo, licet alienâ à nobis persuasione dissentiat, summo tamen & omnigenâ eruditione clarissimo; Qui cùm in omnibus disciplinis tum maximè in verbo Dei pro concione dicendo explicandoque inter suos jure obtinet principatum, & praestantiâ sermonis & scientiae famâ, & celebritate nominis cum paucissimus comparandus. Regiomonti in Academiâ omnium Noricarum nobilissimâ sermonem habuit nuperis, ut moris est, Paracleti Spiritûs redeuntibus festis elegantissimum. Venatus est occasionem, de sacris Imaginibus disserendi ex quo BENEDICTUS XIV. *Pont. Max decretoriâ ad Augustanum Episcopum datâ epistolâ, Imaginẽ quamdam S. Spiritus cerebrosam atque phantasticam sub forma juvenis circũ-latã jure suo atq; auctoritate proscripsit. Inde ansam arripit Catholicos cavillandi, quos Iconolatras, Fanaticos, Enthusiastas ad ravim praedicat, Summumq; Ecclesiae Pastorem, quem tamen ex operibus eruditissimis laudat, quis autem laudibus sapientiam ipsam non efferat? ineptae peragit argumentationis reum, quâ scilicet de fundamento totius rei alucinatus praeposterè inperiteq; statuerit. Virum talem equidem non amare, atq; aestimare plurimi nequeo. At Ejus*

quae

quae edisserit placita non execrari, atque odisse ut Catholicus, sedique Apostolicae deditus atq; auctoratus minimè possum.

Itaque in tam gravi causâ, Vir Magne, cui potius quàm Tibi laborem meum nuncuparem, qui tot annorum excubias ad Cracoviensem Ecclesiam Vicariâ potestate tuendam ac temperandam egisti, qui vastissimi judicia Regni summâ ubique sapientiâ maximâ verò semper cum Tui nominis admiratione exercuisti, qui tandem quasi per gradus Tuis Ipse meritis Tuâque Ipse virtute in eâ honoris luce, & dignitate versaris, ut majora semper clementissimi AUGUSTI REGIS *beneficentia atque aequitas admiranda tuis sanè meritis & virtutibus polliceatur. Praetereo in nostrum Ordinem benefacta plurima & maxima, quibus omnium animos tam mirabiliter devinxisti, ut nemo unus sit, qui te in oculis & in ore non ferat. Praetereo denique incredibilem erga me amoris Tui propensionem, humanitatem, benevolentiam, quae quidem omnia májora esse puto, quàm ut a quoquam aequari laudibus, compensarique meritis possint. Quod autem possum, ut scilicet ubicumque haec nostra quantulacumque fuerint, doctorum oculis*

percur-

percurrantur, evigilato consilio meum animum patefaciant, non praetermitto. Sic palam testatumq; omnibus fiet me praeclarissimo & praestantissimo Praesuli Logothetae, & Regni Poloniae Pro-Cancellario MICHAELI WODZICKIO *privatis rationibus multa debere, mei Ordinis nomine, etiam plura; publicarum verò rerum, quae cum omnibus boni sensûs mortalibus conjunguntur, commendatione, benè & insigniter gesta prope infinita atq; innumera gratulari.*

Vale.

ECCLESIASTES
SIVE
DE VERBO DEI PRO CONCIONE DICENDO AD EXETESTICUM VARMIUM.

DE ratione dicendi, Exeteſtice, verba facturus non eâ quidem, quae in foro, & judiciis de capite, fortunisquè hominum dimicat, ſed alterâ, quae ad Religionem pertinet, & Prophetarum olim voce myſteria, morumqué vel reprehenſionem vel diſciplinam, tam vehementer, tam ſolidè praemonebat, ut tonare quodămodo, & fulgurare mortalibus videretur, Equidem fateor, ubi in haec ſpatia ſacrae Eloquentiae infinita mentis oculos cogitationemquè converti, perinde me animô concidiſſe, ac qui maris immenſitatem circumſpicit, nec finem videndi facit, nec limites, quoquòversùm intendat, longiſſimè conſpicatur. Tanta eſt quippe praeſtantia, & donorum copia huic muneri neceſſaria, tam latè patent hujus generis ſtudia, quibûs haec ratio dicendi tota mirabiliter continetur, ut ea ſingula, quae requiruntur animi & corporis adiumenta, niſi à Deo liberaliter tri-

 buantur,

buantur, humanìs viribûs assequi nemo possit. Hinc propterea fit, ut dicendorum inopia non ea quidem terreat de hisce agere cogitantem, sed infinitas rerum ne obruat, sit maximè pertimescendum. Cùm enim ea sit Jtalorum audacia, ut quadraginta dierum spátio, paucìs exceptìs, pro concione dicere quotidie soleant, deque Evangelicâ auctoritate coronae hominum frequentissimae argumenta proponere & explicare, facile est illis, siquidem hoc theatrum inіverint, ea, quae peccant, quae Auditorum fastidium pariunt quaeq; animos percellunt vehementiùs, advertere, facemq; aliis praeferre, ne hisce scopulis illidantur. Jnde methodus emendari & dicendi ratio potest. Jn hoc curriculo, qualis qualis fuerit, bissenos annos versati sumus. Consuetudo, atque usus materiam suppetit uberem & rei opportunitati maximè accomodatam, quam si non modò penitus exhaurire, sed etiam ex parte complecti vellem, plus aequo instituta hac de re disputatio progrederetur, & mole deinde suâ legentis animum onerarет, aliòquè cogitandi vim diuturnitate lectionis & prolixâ rerum meditatione miserè fatiscentem traduceret quàm longissimè. Quare com-

compendiò cùm sit agendum, de praeceptis imprimis, quae non alia esse possunt in genere, quàm quae profanae Eloquentiae à praeclaris iisdemquè maximis oratoribus, ut Tullius scilicet, & Longinus, & Quintilianus, uberi filo jam tradita praescripta sunt, verba faciam. Deinde, cùm ea cuncta, quae pro foro, & judiciis probari solent, eadem sint non raro pro Christianae persuasionis oraculis indecora atque exotica, secernenda à communibus esse, quae sunt nostris idonea, eaquè Ecclesiastae pro dignitate rei, quam perorat, accomodanda, ut ne ad frivola convertatur, puto. Huc autem loci omnia ea, quae peccantur sivè ad animum & cogitatum, sive ad habitum corporis, & congruentem rebus repraesentationem pertinent, naviter revocabo. Cùm enim homini loqui, cujus natura licèt praesertim spiritûs, & quàdam quasi rationis divinitate praecellat, externá tamen materiae formâ & concretione vigeat, debeamus, non solùm ad ejus captum, verùm etiam ad ejus sensum, modò proficuè satagamus, loqui necesse est. Quare non defuerunt plures, quorum de laudibus illa aetas conticuit, quâ scilicet pro concione locuti sunt, at subsequens, & posterior, quâ illorum

opera prodierunt, judicium amplissimum atq; honorificentissimum pronunciavit. Haec itaq; in primis. Postremò tandem, cùm quotquot Christiani nominis esse censentur, in id maximè incumbant, ut Divini verbi praecones, hanc dicendi rationem ad plebes instituendas, rudesquè virtutibùs, & sanctitatibùs erudiendos insistant; Eòquè adeò unusquisque pro partium studio respiciat, unde initia petita sunt secessionis, pro re esse arbitror, eam quoque concionandi viam demonstrare, quâ Sectariorum hallucinatio à nobis perperam declinavit; ut ea, quae deblaterant, sciat Catholicus Ecclesiasta, planè & solidè redarguere sine acerbitate animi suffusisq; salibus felle, quod equidem virum frugi, id est Catholicum, & morigerum maximè dedeceret. Jd verò ubivis oportere, at hìc potissimùm judico, ubi Dissidentium turba in limitibus plurima, quae nedum nobiscum non convenit, unde nescio, quo miserò & deplorando infortunio eam procul certorum hominum astus abegit, sed secum ipsa certat, & dimicat pugnacissimè.

En Tibi, Exetestice, quaestionis statum, ordinemquè mihi propositum differendi, quam ego causae rationem nunquam hercle attigissem, non

non ideo solùm, quia molestissimis difficultatibus implicatur, sed etiam quia Natio quaelibet suae gentis funditus tenet mores utique varios atque dissimiles, quibuscum oratio consentiat omnino necesse est, nisi Summi Antistitis, deq; me benè merentissimi auctoritas ad haec leviter adumbranda pro viribus, compulisset. Macte igitur animo, & quô soles, studiô leges atque instituta disciplinarum avidè consectari, ad hanc omnium maximam atque Sanctissimam, à qua res tota Christiana perficitur, sapientiae partem diligenter attende.

Rerum Dominam & disciplinarum Principem eloquentiam, qualiscumq; ea sit, vel profana, vel Sacra, sua quamque ratio regit, suusquè ordo temperat, & praescriptis legibus moderatur. Sitquè ea licèt hujusmodi, ut naturâ ipsâ duce, mortalibus effluat, eâdemq; obnitente penitùs exhauriatur, cùm contra naturam niti, Longinus moneat, laboris multum, frugisq; nihil afferre; tamen arte elimari & perfici eam posse elegantiùs, modò ad regularum perpendiculum exigatur, & exemplìs evincitur, & sapientissimorum hominum studia & vigiliae abundè testantur. Jn unâquàque enim re Aristo-

teli

teli placuit, inesse tria. Naturam scilicet, initia rerum acerba, tum denique artem ipsam rem scitè & affabrè perficiendi. Haec natura tum dicitur omnibûs numerîs absoluta, cum quae animis eloquentiae semina insevit, siquis excitare, atque excudere diligenter contendat, facile est illi ad summam dicendi laudem perviô atque expeditô compendiô citissimè dimanare. Jtaque & naturâ & arte opus est ad benè ornatèque sermocinandum. Quod si alterutro careamus, illud nobis, quod aquarum scatebris è rupe exilientibus, accidit; Si fons sterilis fuerit, minimèquè dives, venae tenuitate exarescit; Si verô affatim emissus lapsu prorumpat, nisi ille alveô, suîsquè aggeribûs còërceatur, exundat latè per campos, eòsque lutô & illuvie sic obruit, ut neque gramina pecudum edacitati, nec nobis segetes sobolescant. Haud aliter eloquentia. Si vena illa fluens deficiat, quae à natura scilicet derivatur, quidquid conaberis, frustra erit & laborem seres. Sin autem sinas profluentem excurrere quoquòversùm liberè & inordinatè, quid tandem proficies effraeni sine legibus eloquentiâ? Aquam, ut ajunt, Auditorum animis aegrotantibus vitiorum morbis asperges, eosquè
verborum

verborum turbine perperam onerabis, non ritè & sapienter distributarum rationum obsidione capies.

Naturâ ergo ad dicendum propensâ, dicendi leges naturae adhibe emendatrices, sic tamen, ut natura vigeat, non destruatur. Cuiq; enim sua inest indoles propria, modusq; sermocinandi. Quamobrem Athanasii docendi perspicuitatem nitoremquè admirabilem in dicendo; Mitem & temperatam Basilii svaviloquentiam; Chrysostomi profluentem orationis copiam. Cypriani magnanimitatem & spiritum martyriô dignum, Hilarii parem materiae excellentiam & granditatem, Ambrosii dulces aculeos, & verecundiam. Hieronymi uberes scripturarum divitias, Augustini subtilitatem & disputandi vim incredibilem praedicamus. Sed istuc quare? quia plerisque omnibus dicendi genera varia sunt & diversa, inde maximè, quòd cuique varius & diversus naturae habitus tribuatur. Prophetae ipsi Divinitus inspirati multifariam multisquè modìs locuti sunt, cùm eventa rerum futurarum tam mirabiliter praedixerunt, quodquè est praecipuum, naturae Ipsorum Deus, loquendiquè rationibus singulorum

numen

numen aptavit, & myſteria oraculis pro cujusque more concluſit.

Haec eô dicimus, ne mirerė, Eccleſiaſtarum dictionem & ſermonis ſtylum tam multimodè diſcrepare, qui tamen omnes eloquentiſſimi celebrantur. Jllis etiam veteris eloquentiae Patribus contigit, ut quisque ſummus & laudatiſſimus haberetur,etſi verò disjunctione ſentētiarum,ſtyliqué formâ inter Jpſos minimè conveniret. Jtaque & Demoſthenes in commovendis affectibus, & in Attica ſubtilitate Lyſias, & in numeroſa oratione Jsocrates, & in ſuavitate maximè Phaleraeus primas obtinuerunt. Cuique tamen ſua laus eſt, ſuaque nominis ad aeternitatem fama latiſſimè propagata.

Naturâ igitur praecurrente ars ſubſequatur. Haec autem docet in diſſerendo ordinem eſſe hujusmodi in partes aptiſſimè diſtributum. Exordium, ſive Proaemium, quidam quaſi totius orationis anteſignanus aciem dirigat argumentorum ad animos expugnandos. Et quemadmodum experientis eſt Jmperatoris per opportuna loca copiarum agmina diſpertire, & legiones pro rei opportunitate huc, & illuc educere, vel ſtatarias, ut hoſtis impetus retardetur, vėl à

lateri-

lateribus incurrentes, ut pugnacissimos interturbet, longéque arceat; Sic proaemium aut partitionem continet aut praefinit thematis, quod in quaestione versatur.

Jllud verò praecipuum praefationis est munus, ait Quintil. (a) ut nempe auditores, quò sint in ceteris partibus faciles, & faventiores, demulceat: Quod sanè fieri tribûs maximè conditionibûs potest. Si benevolos scilicet, attentos, & dociles ad ea, quae subinde sermocinando exponuntur, satagat comparare.

Agedum, Exetestice, & quomodo haec aptè, quâve ratione fiant, quidvè in unâquaque re vitio vertatur, intellige. Exordium in primis illud maximè peccat, quod perspicuum non est, nec captu facile, sed infuscatum, per quod animus Auditorum minimè percipit quae praeclamantur. Ut sit perspicuum, breve, èqué re natum debet; ut breve, simplex planum nudumquè esse. Perspicuitas illa, quae praefationibus competit à brevitate quàm maximè petitur, itemquè si ex interioribus causae exordia fluant, quin ad alia penitus aliena & diversa detorqueantur. Hoc uno cuncta, quae vitio dantur in

B prae-

(a) *De Art. dicendi Lib. 4. c. 1.*

praefatione, errati genere quodammodo continentur. Quàm illi ergo vehementer errant, quorum initia dicendi metaphorîs scatent verborum crebrîs & à vulgi captu alienissimis? quàm perperam rei Christianae satagunt, qui aliud quidpiam ab Evangelio & scripturis, nugacî sensûs interpretatione, deducunt! Veritas animum pascit, & conscientiae intimè consonat, quam religio educat nutritquè liberaliter, non autem ea, quae pro ingenii lubidine temerè confinguntur bibliorum sensa, quibûs animum lactant, minimè nutriunt, non Evangelii praecones, sed corruptores. Jd foro liceat, si Diis placet, in quo laciniosa illa Eloquentia theatrum in admirationem trahit excitatquè, ea propter, quòd falsa veris tam affabrè copulantur, ut fucum auditorum animis oscitantibus, merasquè nugas venantibus faciant. Non eadem Sacrae eloquentiae ratio & disciplina. Hanc nuda veritas decet. Veritate scilicet Christiana Pietas ad coelestia provehitur, malisquè affectibus, qui hominem saepe transversum agunt, insurgit, modò eam sentiat rebus inesse, quae proferuntur. At quia multimodè veritas ipsa se se aperit contemplandam, nec semper literae subêst, quae pro-
inde

inde à Sacris paginis enecatrix, Spiritus verò vivificus praedicatur, quare nunc mysticis, & allegoricis nunc anagogicis, & metaphoricis quasi coloribus adumbratur; apage Tibi sumas peregrinam aliquam, & cerebrosam explicationem confingere, ut Tibi ingeniosi hominis plausum adipiscare. Jd foret equidem, non Dei gloriam, quae una dumtaxat Ecclesiastae praefigitur promovenda, sed tuam quaerere, quò mehercule nil perversius in munere omnium Sanctissimo, quod morum canones, charitatem, & religionem spirat, praeterea nihil. Jllud autem quàm saepe periclitaberis, ut ne sine duce in arcana bibliorum spatia percurrens longè deerres à viâ, & monstra pro oraculis eloquare. Veteres igitur Ecclesiae Patres in primis scripturarũ interpretes; Augustinus, & Hieronymus consulendi, utquè immensum immensa opera volutandi laborem leves, Hugo Cardinalis, Tirinus, à Lapide, & Augustinus Calmetus prae manibus habeantur. Jnde verè germanam & solidam Sacrorum Librorum expositionem, sensusquè omnes sine halucinatione proferes Ecclesiae judiciò Patrumquè doctissimorum testimonio gravissimos.

Sed ne ab incoepto resiliam, longèqué ab-

eam procul ab instituto dicendi, praefatio post expositam genuinè & breviter & luculenter textûs allegationem, indequè assumptum aliquod veritatis deduxerit, ad mores vel emendandos, vel componendos accomodatum, illud praecipuè respicit, ut auditorum animos sibi conciliatiores & faciles,ad disciplinam attemperatos, ad verba sedulos, & intentos efficiat. Favor autem & benevolentia favore & benevolentia maximè comparatur. Quā ob rem si tua illa dicendi ratio perspicua, quemdā quasi charitatis aestum etiam praeseferat, quo nimirū plenus populū alloquare; sitquè illi propterea facilè persuasum, nihil Te aliud intendere, nihil cogitare, quàm quod illi sit profuturum ad felicitatem,beatitatemquè adsequendam, à vitiis declinando, & virtutibus perseveranter praescriptisqué à Deo legibus adhaerendo, en Tibi omnium benevolentiam & gratiam arctissimè comparatam; ex quâ subinde Auditorum illa docilitas proficiscitur, unde fructum capias uberrimum dicendorum, & quàm minimo negotio queas de ignavis & bardis & pertinacibus triūphare.Excurre aureas illas Chrysostomi allocutiones, & quarum sibi vir magnus exemplar ad imitandum proposuit, epistolas D.

Pauli.

Pauli. Quàm hercle benevolentiae, & amoris plenissima, quàm placidâ & leni elocutione liquescunt. De Johannis Apostoli stylo & charitate quid loquar? Nonne totus imbibitâ a Christo Domino dilectione flagrat? Nec verbis dumtaxat lenissimis, sed etiam factis, hanc animi suavitatem spirantibus commendatur? Quâ aliâ enim ratione Juvenem probatissimum, sibiq; maximè charum, qui, ut accidit, in aetate praesertim lubrica & ad vitia declivi, obsidendi vias ad latrocinium Ephesi consilium coepit, pervicit? vicit amore & ferventissimâ charitate. Cùm nempe senectò jam corpore prope exanimis discipulorum officiò fultus, ut viam pergeret asperam & senticosam, ad hominem debacchantem accessit; Et filij nomine, ter & quater amantissimè compellatum, amplexibus profusis precibus & ploratibus expugnavit. Haec qui legit ex Ecclesiastica historia Apostolicae dilectionis specimina, quî tandem possit sibi à lacrymis temperare? Ea sunt enim mirè flexanima, & quàm tenerrima, non solùm visu sed cogitatione comprehensa. Plerique omnes, qui Ecclesiae annalibus conscribendis incubuêre, insigne hoc monumentum posteris tradiderunt, at

Joh.

Joh. (*a*) Clericus tam patheticè & graviter & expreſsè, ut lapides ipſos & rudera, ſi ſenſu aliquo donarentur, intimè permoveret.

Utinam noſtri temporis Eccleſiaſtae hoc divinitus igne ſuccenderentur, neque inſtinctus ille, atq; animi fervor, quem tantopere Cic: & Fabius inculcat, in ore tantùm atque oculis, ſed intimè, quaſi fax aliqua in corde & ſenſibus veniſquè aleretur, quàm benè res Chriſtiana procederet, quàm ſibi facilem ſternerent concionatores docilitatis & benevolentiae apparatum. Neque enim *ſiccis agenti oculis*, ait Quintil. *Judex lacrymas dabit; nec madeſcimus niſi humore, nec res illa dat alteri calorem, quem ipsa non concipit.* Hoc pium animi ſtudium, cum quo natura facilis ad dicendum congruat neceſſe eſt, quodquè; omnino ad homines permovendos & in omnem partem verſandos requiritur, ex quo alio fonte, quàm Deo, in quo ſunt omnes affatim ſapientiae & cognitionis opes reconditae, derivabimus? Quàm ergo enixè, quàm humilì prece rogandus, ut ex immenſo illo charitatis incendio, quo Ipſe flagrat, particulam nobis minimam &

(*a*) *Hiſt. Eccl. Secul.* 1.

& tenuissimam tribuat, Satis inde superqué erit, ut omnia longè & latè & penitus inflammentur.

Sic benevolus factus & docilis Audientium animus, quidni etiam intentus auribûs & cogitatu, eâdem ipsâ de causâ minimè fiat, quâ benevolentia & docilitas comparatur? Age; si quis enim Tibi illud se se dicturum pro sententia polliceatur, quod tua maximè interest, Tuaeque rei & opportunitati admodùm profuturum putes, num longas trahere oscitationes possis, dequé Te loquentem humaniter & peramicè, excipere somniculosè? Ea igitur Quintil. praeceptio utilis quidem judiciis, sed in sacris concionibus minimè necessaria videri potest, quâ videlicet ad curiositatem, id est audiendi cognoscendiqué ea, quae perorantur, studium curamqué aucupandam, illud praestare docuit, siquidem nova & magná atq; inaudita, Te in medium prolaturum esse pollicearis. Sunt enim haec mendacio proxima, à quibus Sacrae Eloquentiae candor quàm vehementer discordat. Neque enim novum atque inauditum afferes, si verum proferas. Praeterea ut novum dicas, luxatìs bibliorum

rum textibùs, monstrum aliquod comminisci, quid novum excogitare minimè poteris. Auditus est mihi olim ingenii famâ, & nominis opinione vir celebris, qui de Jnfernis cruciatibus locuturus, ut frequentissimum sibi idemq; attentissimum theatrum faceret, illud praefatus est, quod abhorret à fide: *apud inferos gaudium gaudere sontes & noxios, in aeterna verò beatitate extrema perpeti, qui sanctis Coelitibus accensentur.* Silentium inibi magnum, attentio summa ex rei mirabilitate excitata. Quid autem postea? Rimâ inventâ subdolus, quâ elaberetur, omniũ cum stomacho ex inaudita illa & praepostera execratione nugacissimè evasit.

Paradoxa igitur evitanda cane pejus & angve, quae certè redolent novitatem, sed vero minimè quadrant, quod unum Religio quaerit, praeterea nihil. Jllud potius, magisqué opportunum pro attentione captanda expedire putaverim, rei summam si breviter & dilucidè proponamus, in qua neque diu moraturos nos esse, neque extra causam dicturos, profiteamur.

Hic autem loci post derivatam in praefatione aliquam ex biblica allegatione veritatem tractan-

tractandam partitio sequitur. HancFabius, cùm de genere judiciali causisquè forensibus disserit, narrationem vocat, eamque esse juxta Apollodorum orationem docet, quae Auditoribus explicat quod in quaestione versatur.(a) Nobis verò cùm fori strepitus, & actitandi munus minimè incumbat, sed omnia conscientiae trutinâ perpendantur, Partitio dicitur potius & divisio aptiori ad rem vocabulô, & definitione significandam; in qua tamen Auditoribus explicandi, quid in assumta veritate versetur, Sacri Oratoris est onus praecipuum. Haec autem partitio licet initiô concludi possit, ut plerùmque Jtali faciunt, si tamen narrationis vicem post praefationem subeat impleatquè, ut Galli solent, mihi probatur maximè. Divisio scilicet perspicua magis, magisquè in singulis ordinata, & memoriae consulit oratoris, & Audientium animis non semel peregrinantibus opitulatur. Praeterea, cùm nihil aliud partitio efficiat, quàm ad quaedam veluti capita argumentorum formas redigere, quae deinde ampliatae ornataequè propositum confirmabunt, inde ha-

(a) *Lib.* 4. c. 2. n. 3.

bet Auditor concisam anacephaleosim, & rationum Syllogen singularum, quae orationis compagem artusquè construunt, quô nihil est ad populi captum utilitatemquè magis accomodatum, magisquè frugiferum. Verùm in hoc suum cuique sequi morem & regionis consuetudinem licet, etsi tamen Partitio aliqua semper generica propositionis omnimodè requiratur; quae per omnes materias totumque earum corpus aequaliter funditur, ne si & generales, & particulares initiô omnes partitiones proponantur, Auditorum animus copiâ rerum fatiscat, & memoria miserè dilabatur.

Sed quemadmodùm in narratione brevitas pro foro & judiciis exigitur, eadem in partitione pro Sacris concionibus commendatur. Debemus omnia recidere in partitionibus, quibûs sublatîs nec cognitioni quidquam, nec utilitati detrahitur. Satius est tamen aliquid superfluere, quàm partitioni deesse, ne cum periculo necessaria expungantur, illudquè accidat, quòd saepe omnia nimiùm corripientibus solet, ut nimirùm obscuritas brevitatem sequatur. Ad claritatem verò maximè prodest verborum simplicitas & natura.

natura. Absit ut tropologicè complexae propositionis partes distribuantur. Nuda penitus, & distincta locutio pateat sine phaleris sententiarum & elegantiae luxurie, quae vibratae illi dividendi rationi caliginem quamdam & obscuritatem offundit. E. g. sit de scandalo sermocinandum. Expositô scripturae textu in proaemio, illud probandum assumitur; scandalum nimirùm esse ex eâ scelerum peste, quae peractam à Christo Domino Redemptionem cogit ad irritum cadere, & frustra esse. Partitio fiat hujusce propositionis.Post habitã praefationẽ excogitandae rationes sunt,quae propositũ afferant.Has inter illae praecipuae. Redẽptio ex Apostoli testimonio tria maximè intendit. (*a*) 1. Christo, qui se obtulit immaculatũ Deo, plurimùm laudis, & gloriae tribuit. 2. Conscientiã nostrã ab operibus mortuis, ut Deo viventi servire esset liberum, absterfit. 3. Morte intercedente, repromissionem nobis aeternae haereditatis promeruit. Quid autem scandalum ? Christi Domini gloriam foedissimè decolorat. Deo serviendi liberam potestatem infirmat. AEternae denique haereditatis

(*a*) *Ad Hebrae. c. 9.*

ditatis spem omnem, & repromissionem intercipit. Videsis probationes assumpti, partitionem efficere aptissimam & congruentem, quae totum subinde sermonem permeat, & excurrit. Assumtum erat. ***Scandalum Redemptionis intentum finemquè destruit.*** Cùm ea quippe Christum Dominum gloriâ affecerit praestantissimâ & maximâ; Conscientiam, deletìs maculìs, filiorum libertate donaverit, aeternae haereditatis bonum omnium amplissimum promeruerit. Scandalum contra Christi Domini gloriam pessumdat & foedissimè inquinat. Libertatem, quâ Deo vacandum, infringit, spemquè omnẽ haereditatis aeternae penitus intercludit.

Haec tria, quae quasi surculi sunt, ex una eademquè stirpe regerminant. Nam Tibi interea probandum, quà ratione quàvé de causa scandali vis & natura Christi Domini gloriae labem & ignominiam inferat. Atque hinc Tibi aditus ad partitionem alteram, quae chorum ducet argumentorum huc scilicet pertinentium, idemquè de ceteris. Quare dicimus modum hunc dividendi illud efficere, ut tota sermonis methodus mentis oculis obversetur, fiatquè in singulis

partibus

partibus adeò clara & perspicua orationis textura, ut affabrè pictae immaginis colorũ cõcordia, aut citharae cujusdam sonitus & harmonia videatur.

Ordine ipso partitionem sequitur confirmatio. Haec autẽ tota ex rationibus derivatur. Ratio verò ex doctrina. Quid enim attinet partitiones tã naviter, tam sollerter inquirere, nisi hae subinde argumentis exemplis & testibûs confirmentur. Neque hic quidẽ communes locos tradere constituimus, quod foret operis infiniti, sed viã quandã ostendere cõpendiariã ad Sacrae eloquentiae ordinẽ commonstrandũ. Qui plura velit, & subactiori judiciô fusisquè regulis elaborata de arte oratoria basilicè differentẽ Fabium in manus sumat; ibiquè affatim cuncta sapientissimi Auctoris dogmata diuturnâ meditatione heluetur.

Ceterùm est adeò immensus & latus & vastus orbis disciplinarum, totquè inibi extant argumentorum origines, queîs uti possumus ad probandum, ut nisi scitissimus & versatissimus queat eas inde probationibus accomodare. Nos verò, ut paucis, argumenta dicimus, & testimonia, & exempla, assumti esse, assumtiquè partibus pro confirmatione adhibenda. At unde

argu-

argumenta uberiùs, quàm è Sacrae doctrinae fontibus repetamus? Angelica illa summa Aquinatis quid aliud est, quàm thesaurus argumentorū locupletissimus, unde ea omnia exprimas, quae ad vindicandam, asserendamqué dogmatum veritatem, quaequè ad vitia & virtutes pertinent, vel naturam mavis vel indolem vel effecta explicare. Nego autem posse Ecclesiastam pro concione loqui perutiliter & conclusè, quin Christianae in primis Ethicae callentissimus habeatur, in qua Sacrae Eloquentiae partes ut plurimùm exercentur. Neque id muneris Philosophis interdico, siquidem ea dicant, quae in medio sunt, & controversiam id est seditionem non sapiant, cùm hoc genus hominum sit pugnacissimum. Absit ergo, ut in causae tuae subsidium vocare satagas, quae pluribus non probantur, quaeq; abripi Te studiô partium iudicium praeferant. Jd foret audientium animos alienare quàm maximè, qui illis placitis non acquiescunt, aliudq; à Porticu vel Lyceo quàm diversum & dissimillimum sentiunt.

Argumenta itaque praeter suam, quâ valent, vim ad suadendum ingenitam, exemplîs etiam

etiam, quò latiùs pateant, aptissimè communiuntur. (*a*) *Exemplum* autem *est facti alicujus, vel dicti praeteriti, cum certo authoris nomine propositio.* Mirum est, Extestice, quàm sint proficua ad probandum exemplorum momenta gravia & indubia, queis ita factum, gestumquè esse, ita creditum & admissum anteactis aetatibûs demonstramus, quemadmodùm fieri, & credi, & admitti debere, id etiã temporis commonemus. Verùm exempla, quaecumque ea demùm fuerint, vel facti, vel dicti, ut praemisimus quò efficaciús auditorum animos urgeant, maximè authorum famâ & nomine commendantur. Quare è sacris bibliis potissima. Cetera minús ponderant, sed tamen valent, modò illa insignis aliquis author, & opinione hominum florens in medium afferat, & probabilì conjecturâ confirmet. Eapropter ex Ecclesiastica historia promas, quantùm ad rem tuam attinet. Ex profanâ, quàm pauca eademquè nova & praecipua, ut inaudita scilicet admirationem pariant, & animi assensum perspicuae novitate narrationis extorqueant. Quod si facta recentissima fuerĩt, exempli

(*a*) *Auth. ad Heren. lib. 4.*

pli auctoritas summa. Eos improbo, ac vehementer reprehendo, qui ex nugacissimis collectoribus, quorum numerus tantus subduci vix potest, tot visa, tot portentosa, tot revelata comminiscuntur, quae fidem minimè adstruunt, sed detrahunt veritati. (*a*) *Credulitatis autem error est magis, quàm culpa*; Religionem praeterea ab initio primâqué hominis extructione, & subinde postea usque ad haec tēpora fuisse semper, & fore Divinîs hîsce immissionibûs & afflatibûs educatam, equìdem non ignoro. Ubi veritas, inibi revelatio. Ubi mendacium, veritas obmutescit & latet. At enimveró, etsi non semel viris Sanctissimis appingantur, quae passim mira circumferuntur, & conniventis Ecclesiae nomen auctoritatemquè praeseferant, rarò ea quidem admodùm & praeparcè adhiberem, nimirùm quia & error cum sanctitate conjungi potest, & Ecclesia non certa, sed probabilia aliquando judicat, quae permittit. Sed de hoc fusiorî calamô inferiùs.

Testes insuper ad probandum inducere, utriusque eloquentiae lege jubemur. Bibliorum utraque

(*a*) *Cic.* 10. *fam. epist.* 23.

utraque pagina in primis, quae promus condus dicitur Divinitatis, quaequè (a) *pertingit usque ad divisionem animae, & spiritûs, compagum quoque, & medullarum* pro rei opportunitate exeratur. Patres deinde scripturarum interpretes Divinarum non modò veteres sed etiam posteros, quos veteribus eadem Dogmatum unanimitas & morum scientia conjunxit. Haec enim duo perpetim inconcussa Ecclesia Dei vera & visibilis variavit nunquam, aut vitiligine aliqua aspersit. Et, licèt Patres ex linguarum anomalia & perplexitate aliquando peccaverint, non ii tamen sunt, quos infantes & pueros cum nuperrimis comparatos insolenter dicamus, ut Joh. Clericus superbè magis quam verè, supercilió illô suô censoriò & severitatis plenô declamitat. Nos herclè miseros, qui adultâ interim religione & longâ iam aetate provectâ, hucusque spiritum, de quo loquitur Paulus, (b) intelligentiae, in sacris voluminibus explicandis exponendisquè praestolati sumus, qui tandem nuper Ecclesiae illuxit, qualium hominum operâ defaecatoqué animô, Deus viderit. *Nihil ne tot*

 secu-

(a) *Ad Hebr. c. 4.* (b) *C. 12. epist. 1. ad Cor.*

seculis, summis ingeniis maximis studiis explicatum putabimus? (*a*) Equidem, in multis, fateor, audio Clericum perlibenter; est enim vir & in omni genere eruditionis & linguarum captu scitissimus, (*b*) At inibi, ubi graecè *Pistis* Latinè verò *Fides*, vocem pensitat, & libenter & gratô animô excipio. Jbi enim monet hanc vocem, multiplicî sensu pollere. Jn epist. quippe ad Rom. 4. magnificam persuasionem de potâ Divinâ significat. vers. autem 13. Evangelium, & Evangelio debitam subjectionem. c. 4. & 5. denique quamdam legis operibus oppositionem, quamobrem inde Paulus hominem, non ex Mosaicae legis observatione, sed ex fide Evangelicâ salutem consequi ratiocinatur, eaquè propter ex hujusce vocis notione, legalem tantùm non Evangelicam obedientiam excludi. Quàm bene ex hac vocis expositione eos certè jugulat, qui fidem esse sine operibus satis vociferantur, Paulumquè naviter de fide sollicitum cum Jacobo itidem pro operibus laborantem conciliat. At enim neque ipse primus neque praecipuus de hac gnoma praeclarè meruit. Et Patres etiam, &

Divina-

(*a*) *Cic. Acad Quaest. lib.* 4 *n.* 15.
(*b*) *Epist. Critic. & Ecclesiastic. c.* 6. *reg.* 5. *n.* 13.

Divinarum Jnterpretes scripturarum unum, idēquè de Fide practica consenserunt. Theophyl. Oecomen.Est.&c: videatur.Calmet. in Epist. ad Rom. c. 1. v.17. & 18. Significationes enim vocum earundem nunc esse ampliores, nunc verò arctiores, indequé sectas dissimiles totoquè coelo diversas, iisdem saepe usas esse vocabulîs ad alia prorsus dogmata recudenda,latet neminem.

Vide ergo Exeteſtice quantopere selectus testium intersit, verborumquè captus, quorum germanitate, & inibi involutîs notionibûs argumenta fulciuntur. Quare & priscos & recentiores, siquidem non oscitanter, sed cautè versentur & proferantur, libentissimè amplector. Multa sunt in Origene Ethnicam Philosophiam redolentia. Multa in Epiphanio suspiciosa & incogitanter irrepta. Chrysostomus non omnigenâ eruditione floruit. Hilarius, & Tertullianus obscurîs quandoque sensibus infuscantur. Jsta jam novimus. Et ex nostris Dionysius Petavius, & Melchior Canus ad plenum, aliiquò plures uberrimè tradiderunt. At non ideo Henricum Hammondum, & Hugonem Grotium, quidquid Dallaeus garriat, toti illi beatissimae

antiquitatis penori praeferemus, licèt in multis eruditiores, quòd viam Jpsi à veteribus factam progressi sunt, Eorumqué vestigia olfecerunt, Dialecticè magis magisquè ad Grammaticae canonas disputaverint. Jlla unctio Christianae pietatis omninò aberit semper, quam sanè Patres, & quia Christo Capiti, Ejusquè Apostolis conjunctiores, id est à fontibus derivati, & quia sanctioris & severioris vitae purissimam disciplinam profitebantur, ubique suorum operum patefaciunt. Ad haec. Quid magis Historico conciliat fidem, quàm prope ad ea tempora, vel eodem ipso aevo scripsisse, quae gesta sunt, etsi aliquando scriptores penitus non conveniant, sitquè inter illos diversitas opinandi, de quâ sagaciter quaerere subacti judicij est, & funditus investigantis.

Jtaque & Biblia & Patres, adde etiam Historicos & Philosophos ceterosque profanae eruditionis antesignanos in testes adhibe probandae causae, quam agis. At illud moneo, ut quantum licet, ab involutis quibusdam Auctorum textibus proponendis abstineas, qui etsi Evangelio consentiunt, captum nihilominus &

cogni-

cognitionem fugiunt multitudinis imperitae. Ea siquidem vel omittenda,vel perfunctoriè tractanda. Non enim homines sunt, ut deberent; pluresquè dantur, qui doctrinâ illâ de justificatione gratuita, de absoluto praedestinationis decreto, de justorum perseverantia, aliisquè horum similibus ad suas cupiditates & pertinaciam abuti solent, id quod etiam Apostolicâ aetate, & subinde turbas plurimas excitavit. Doctrinam Evangelio conformem & patentissimam eloquare. Mysteria, & mysteriorum arcana doctioribus relinquantur.

Proaemium, partitionem,Confirmationem postremò conclusio terminat. O quàm solidam huc Eloquentiae nervositatem adferre, siquidem triumphare de affectibus velit, orator debet. Nam cùm Epilogus majorem partem amplificatione nitatur, nisi magnificè dixeris & ornatè, omnesquè fontes recludere sententiarum studueris in hoc extremo orationis exitu, pleraque omnia, quae dicta sunt, aptè licèt & operosè, nullo negocio miserè dilabuntur, & evanescunt.Novissima, quae proferuntur, animis haerent firmiùs; vis enim simul collecta impetit magis,magisquè

què

qué urget, & quemdam quasi unguem in ulcere, ut aiunt, figunt, cujus acerbitas deinde mordicat, & semper intimè recrudescit. (*a*) Est autém Conclusio, ***argumentorum praecipuorum enumeratio, quibùs orationis propositum asseruimus.*** Haec utique memoriam reficit Auditorum. Haec totam simul causam recenset, & sub oculis ponit. Haec dispersa quae fuerant minusquè iccirco permoverant, disjunctione ad manum revocat, & validiora efficit turbâ & conjunctione rationum. Jtaque decurrendum per capita, sed quàm brevissimè. Quarta horae pars exordio simul & conclusioni praescripta multiloquas circircumscriptiones & prolixiores periphrases & epitheta exuberantia rejicit, quae quidem Epilogo non conveniunt. Sint ergo breves periodi & maximè populares. At ubi fraena laxanda sunt Eloquentiae, totîsquè viribûs est conandum, in concitandis affectibus praecipua ratio versatur. Non ea propter, quòd aliae dictionis partes exanimes esse debeant, motuqué & contentione carere, hoc enim esset elumbe & frigidum & inane dicendi genus, sine fruge ulla, aut profectu,

(*a*) *Quintil. de Perorat. lib. 6. c. 1.*

fectu, fed quia quae ultimò adveniunt, acriùs animos involant, & armorum veluti appulfu factôqué agmine expugnant. Jra, ut plurimùm, fpes, odium, contemptus,admiratio, metus, dolor, Epilogo pro caufae & materiae diverfitate competere perfaepe folent. (*a*) Quamobrem Ariftoteles, & Quintilianus uberi filô fermonem de affectibus inftituerunt, ut quemadmodùm manus citharae fidibus adhibetur, ita dicendi ratio pro rei natura, quam agimus, adhibeatur. Jccirco, quid cuique rei, quid cuique homini accidit, qui divitias fequatur, aut ambitum, aut fuperftitionem, quid boni probent, quid mali appetant, quid milites, quid ruftici, quo quaeque modo res vitari, quaeriquè foleat, affatim docuerunt, ut fcilicet affectionum indole benè perpensâ, mortalium animi poffint, verbîs, & figurîs aptiffimîs irritari. (*b*) Figuras Tullius enumerat, quibûs, ut mare ventis agitur, fic concionarius populus concitatur. Etfi tamen figuras ex quotidianâ converfatione petendas effe putaverim, ne artificiosè eloqui videamur, nonnullae funt nihilominus,ut Apoftrophe& Profopopaeja

quae

(*a*) *Lib. 2. de Art. Rhetor. Lib. 6. c. 2. de Affect.* (*b*) *Lib. 3. de Orat.*

quae á vulgari consuetudine alienae in Declamatorum umbraculis, mirabiliter praevalent & triumphant. Apostrophe in magno gaudio, aut dolore maximè praestat. Prosopopaeja, per quam personae, aliaequé res inducuntur sermocinantes, miserendo, suadendo, objurgando, pudorem, lacrymas, iracundiam quàm maximè ciet & provocat. Epiphonema pręclaris idonea; frivolis ineptissima. Anaphora, quae initia repetit sententiarum, vehementer animis insinuatur, rerumqé imagines & notiones inculcat, Quid verò Ethopoeja? quâ graphyce vita, & mores ita alicujus hominis describuntur, ut forma ipsa, habitusqué corporis, & tota animi effigies ad unguem facta repraesentetur. Quanta vis, quanta efficacitas hisce imaginibus inest ad animos permovendos? Divitem illum Euthemium nomine, ut Origeni, aliisqué pluribus placet, qui byssô, & purpurâ insignis quotidie opiparè, & Sybaritarum in morem splendidè epulabatur, vir quidam magnus, & concionandi elegantiâ celebratissimus, ex Inferno, quô tenebatur gurgustio, miserâ ad Abraham ejulatione clamantem sic suis coloribûs pinxit, ut Auditorum

frequen-

frequentia crebra & praecipua tota expalluerit, quò finis gemitus nullus fieret, pluresqué concione iam habitâ culparum expiationem profusîs lacrymîs precarentur. Adeò ad vivum expressa damnati hominis, suamqué aerumnam & aegritudinem deplorantis imago potuit. Vide Execestice, quid ejusmodi valeat figurarum exercitatio, quae calcaria sunt affectibus admovenda, ut irritentur, & ferveant. Cetera, praeter exclamationem, itemqué interrogationem identidem usurpandam, prout natura ipsa & necessitas orationis videbitur postulare, nuda, jejuna, infirma, & ingrata sunt schemata Puerorum tyrocinio potiùs, quàm Ecclesiastarum suggestibus alleganda.

Adverte nunc quaeso certorum hominum ruditatem, qui ut animos moveant, illud cogitant sibi admodùm expedire, si dithyrambicâ in flati tumiditate, clamoribûs clamosissimîs audientium aures, non animos aggrediantur; & quin blandè caput demulceant, quae Christiani Praeconis est charitas & moderatio, ululant, debacchantur, latrant Moenadum more temulentarum inconditè & inconcinnè. Tragoedias mo-

vent paſſim à themate, rebuſqué alieniſſimas, hoc eſt, in minimis quibusque aeſtuant, ſudant, invehuntur, quodquè apicula pennìs tegeret, Elephantum aut quid ſimile monſtrum efficiunt, ut ſi de omiſſione aliqua levi, aut incogitata mentis evagatione tractant, perinde ac de blaſphemia, aut Templorum profanatione ad ravim vociferantur. Quod eſt in ſimpulo fluctus, ut dicitur, excitare.

Equidem non inficior ſuum eſſe voci modum & temperationē, quae ſi nunc rapidè effuſi torrētis inſtar feratur, nunc velut placidus amnis ſedatè & leniter fluat, & aliquando etiam ſuſpenſa haereat, eam ipſam pariet auribus delectationem, quam oculis aulaeorum in ſcena mutatio parit, quod qui negligunt, animos afficiunt parùm, invítis auribûs & averſis à tubâ illâ atque inflexibili vocis ſonô. Vox igitur attemperanda eſt rerum naturae & modo. Si gravia ſunt, quae dicuntur, & inauditô aliquo ſcelere horrifica, elata vox & fuſca, totoqué organo inſtructa, ſi levia tandem, & adiaphora, lenis eſſe & remiſſa debet. Paulum Segnerium quem Jtalis pro Sacrae eloquentiae ſpeculo normáqué datum

putave-

putaverim, non ita frequens theatrum circumsedisse proditum est, licèt tam solidè & sapienter diceret, eâ de causa, quòd voce minimè flexuosa ex aurium vitiô uteretur, quem tamen ex mutis philuris scriptoquè loquentem, alium veluti Tullium jure & meritò demiramur. Itaque voci sua vis est attributa ad animos permovendos, modò ritè & ordine sententiarum momentîs & sensibûs concinnetur.

At non voce dumtaxat molli & flexibili, sed pronuntiatione & gestu opus habet idoneo, ut se se animis Auditorum injiciat, qui coram sermocinatur. Haec enim sunt, quae conveniunt extrinsecùs orationi. Sed in uno eodemquè homine quàm diversa & pro natura argumenti saepe contraria. Accentus idem & voculatio, idēqué tonus cathedrae esse & domesticae confabulationis debet. Gesticulatores, qui nutibûs impudentissimîs explicant quae dicuntur, manusquè & corpus paribus periodorum intervallis inclinant, comicam affectationem magis, quàm Ecclesiastae dignitatem gravitatemqué praeseferunt. Putidè semper ineptèqué aget orator, ubi naturae minimè obsecundaverit. Quare ca-

put aperire saepe & detergere, digitorum concrepationes verborumqué turbines & emungendarum narium strepitus vitio dantur & Auditoribus fastidium pariunt. Maximè verò pantomimica oratio reprehenditur, quae nec hujusmodi locum, nec talem hominem decet. Discutiendae à Sacris Oratoribus scenae,quae risum movent. Lingua cum pluribus enim consentiat, animus cum sapientibus necesse est. Sit error aliquis confutandus lacertos oratio postulat, & fundamenta rerum solida & inconcussa, sed sine injuria diffidentium à nobis partium, quas demulcere, non autem lacessere pia mater Ecclesia satagit. Ablegentur potius, si quae incurrunt, superstitiones. Abjiciantur à sacris Jmaginibus larvae, nec Pictorum cerebro, ut Tridentina Synodus clamat, oscitanter & stupidè permittantur. Exinde siquidem mirum est, quantùm Religio, sacrarumquè rerum sanctitas, eorum obtrectationibus pateat, qui haec inventa partim apocrypha partim exotica, & monstruosa Romanae Ecclesiae doctrinae nequissimè & fraudulēter appingunt. Liber est unus, cui titulus *Pictor Christianus*, qui invectas à Pictoribus apinas, nugasquè

gasquè omnes ad limam revocat sollertissimè.

Primum ergò, quod est Oratoris munus, docere scilicet, & populum erudire, sic utiliter exequemur, quin ad inepta, & aliena penitus cogitationum acumina divertamus. Sic movebit animos, & delectabit oratio, quae tria quidem, ut praecipua dicendi adminicula praefiniri oratoribus solēt, nā *ut in ceteris omnibus ait Cic:* (*a*) *incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione, ut ea, quae maximam utilitatem haberent, eadē haberent plurimū, vel dignitatis, vel etiam venustatis*. Jllud tamen etiā,atque iterùm moneo, in docendo ut simplicitas adhibeatur. Jnde etenim perspicuitas orationis. Haec verò simplicitas duplex vel in vocibus sita est, vel in rebus: in vocibus quae inanē omniū epithetorum globū omninò respuit. Artificiosâ siquidem tantùm synthesî luxuriari,vîtio vertitur maximè, & fungosa haec dicendi ratio improbatur. Simplicitas vèrò,quae graecè afales, id est sermo non fucô oblitus, non affectatus, cui nihil superest quidquam, & nihil deest, & omnibus in pretio est & multùm ad ea, quae suadentur, admodùm

proficit

(*a*) *De Orat.*

proficit; praesertim si, cùm ad virtutem hortamur, aut vitia invehimur, ad hominem aptè loquimur, & suis quaeque graphicè caracteribûs explicamus.

Jd autem postremò ut facilè consequare, exemplaria Tibi proponas ad imitandum ex eloquentioribus oratores tuae gentis principes. Cuique enim sunt plurimi, & magni. Segnerius Jtalis, Vedova, & Dolera, & Bambacarius, praecipui sunt. Gallis Bordalaeus, Colombierus, Bossuetus Episcopus, & Rhenardus. Hispanis Vieira, d' Avalos, & Granatensis. Germanis Clemens Burgusianus, Schererius, Hubertus Casternius, Polonis denique, ut audio, Petrus Skarga Sigismundi Tertii à sacris concionibus celebratissimus, Liborius Canonicus Regularis, Starovolscius, Samuel Wysoschius, AEgidius Madeyscius, quorũ opera literis tradita egregiè de re Christi publicâ meruerunt. Ea versare, & diligenter perpendere ne vos pigeat, cùm facẽ vobis praetulerint luculentissimã, viãquè munierint planam & splendidam, & judiciô vestrorum hominum probatissimam, non ideò quidem hercle, ut Aesopici more Graculi alienîs phalerîs orationem farciatis,

ciatis, sed ut paria aut similia conemini. Jnde vim & proprietatem arripite. Jnde vires atque impetum orationis. Jnde ordinem & ornatum facilitatemquè dicendi. Labori vestro & conatibus Deus, quod felix faustumqué sit, adspirabit, siquidem eá mente, eôque animô tantum oneris suscipiatis, ut ne scilicet vestrae laudi, reiqué, quod inanissimum & amentissimum foret, sed Christiani gregis bono, lucro animarum,& praevaricantium saluti, unoqué verbô Dei gloriae, & Ecclesiae ampliandae, propagandaequé progressibus studeatis.

Pars II.

Jn qua sac: Jmaginum disciplina & Bened. XIV. Pont: decretoria ad Episcopum Augustanum Epistola vindicatur.

QUòd si aliquando, Exetestice, ex diffidentium à nobis grege ea reprehendere oporteat pro concione dicendo, quae in medium prodeunt, ne praepostera & calumniosa ignaris plebibus ingerantur, illud inprimis charitas jubet, ne quae fratribus nostris, fratres enim sunt,

posteri-

posterique nostri, etsi in regionem longinquam abierint: (a) objicimus, ut scilicet ad Patrem redeant, arroganter & contumeliosè oggeramus. Jstuc enim aequi bonique facient, natuque majoribus blandè & perhumaniter commonentibus minimè iratos fore putaverim, quamobrem pertinaciùs suis, quibus navim alliserunt, scopulis adhaerescant. Sunt autem coram & publicè refellendi, hoc enim interest plurimùm veritatis, ne non benè sanos & ab interioribus literis imparatos, nubes illa doctorum hominum, & conjecturarum farrago magna, quâ illorum placita mirabiliter implicantur, in discrimen abripiat, faciatq; à Fide transfugas & deerrantes, cum non omnibus enodandae difficultatis, & praejudicatae opinionis eradicandae evolutio pateat.

Jllud recentissimum, & typum redolens viri scitissimi Regiomontani Rectoris programma de Picturis Spiritum Sanctum repraesentantibus circumfertur, quo nescio an aliud operosius, magisque elaboratum, etsi omnia fermè, quae in hunc scopum tendunt versaverim, inveniri legique possit. Cuncta ibi collecta quae in singulos disse-

(a) *S. Ambr. hom. 7. Lib. 7. Comment. in c. 15. Luc.*

disseminantur. Lutherum quippe, Chemnitium, Spanhemium, Dallaeum, Rainoldum, Pencerum, Pfaffium, Voëtium, Molinaeum, Olearium, Feusthingium, aliosque suae non modò sed aliorum familiae multos, quorum causa communi foedere constituitur, Auctor excussit penitus & exhausit. Tanta deinde rerum & eruditionis per virum magnum seges demessa est, ut ea paginarum angustiis penè erumpere videatur.

Exordio nihil suavius atq; elegantius. Basilicè inprimis laudat Pontificem maximum Bened. XIV. ab omnigenâ disciplinarum intelligentiâ, à studio erga literas universas, ab addita amplificatâque Capitolii dignitate, à contracto festorum numero & profestorum aucto, à ritibus denique superstitionem spirantibus in Synarum Jmperio proscriptis, profligatisque conatibus hominum pertinaciter obnitentium. Haec singula, & jure quidē optimo, exquisitissimis laudibus ad Coelum vehit. Hinc sibi viam munit ad cetera, praelaudatoq; iterum atq; iterum summo Christianorum Antistite, quòd grassanti in coetu Romano superstitionis cōtagio obluctetur, illudque viriliter resecrare contendat, ad hi-

storiam graditur Crescentiae cujusdam jam famâ celebris feminae, quae paucis ab hinc annis Kaufbyrae in Suevia Spiritum Sanctum visum sibi sub Juvenis elegantissimi forma affirmabat, quare inde factum, ut hujusce Juvenis Icones, novis usquè rebus favente vulgi impudentiâ, columbâ pectori adpictâ, prostarent, quas Pont. Max. pro sua in Christ. remp. vigilantia datis subinde ad Episcopum Augustanum literis, ut alienas à consuetudine & Catholicae de Trinitatis imaginibus disciplinae exoticas & peregrinas Apostolica auctoritate damnavit. Bellum propterea magnum & pugnacissimum conflatum est M. Pfaffio Tubingensi Theologo, & Christophoro à Windheim, adversus Lud. Muratorium Virum cl. acerrimè conspirantibus.

Hactenus de causae genere ejusque origine & statu Regiomontanus. Hoc posito, quid ipse sentiat, quidue è suo penore & facultatibus promat, quàm paucissimis explicabo. Exinde ergo, derivandi criminis causâ, haec consequenter deducit. In primis, quòd aequo jure Augustanae protestationis Confessoribus licuit adseverare, labem hanc superstitionis & fanatismi Eccle-

siae

siae Rom. radicitus inhaesisse, (*a*) cum suis ipse Pont. Literis liberè fateatur affectatae non semel pietatis & religionis Larvas rudioribus & imperitis obtrudi. Ex hac porrò mendacii scatebra fabulae omnes pleraeque, et virorum feminarumq; bacchantium phantasmata, quibus quodam quasi oestro incitantur, seseque rapi ad Christi Angelorumque & aliorum Coelicolarum colloquia somniant. Jn quarum numerum Hildegarde, Catharina Senensis, Geltrude, Euphemia, Genovefa, Jo: Henr. (*b*) Feusthingio judice, recensentur.

Pergit subinde reliqua, corrugatisque naribus narrat Pontificem Summū de praefatae Crescentiae vita bonisque moribus, licet visum phantasticum & subdititium rejecerit, honorificè judicasse. Jure verò abrogatam hanc abortivam imaginem cùm fateatur, ad limam tamen momenta revocat ejusmodi abrogationis, atque ità sophisticè ratiocinatur.

Pontifex ait, communem esse & vulgatam Ecclesiae opinionem, ut Deum, & Spiritum Sanctum exprimere Christianis liceat, quâ illi formâ

 dunta-

(*a*) *In artic. Schmalc. p. 2. c. 8. pag. 33x.*
(*b*) *In Gynaeceo Mulier. fanat.*

duntaxat se se hominibus conspiciendos exhibuerunt, cumq; scriptura teste, non nisi assumptâ primùm Columbae, linguarum deinde ignearum, nuspiam verô venusti Juvenis specie Spiritus Sanctus se spectabilem exhibuerit, consequens est sub quacumque alia forma Spiritum Sanctum exprimere non licere.

Hinc nodũ in scirpo quaerit atque ansam arripit cavillandi. Pontificẽ malae argumentationis, supposito nimirùm falso innitentis, peragit reum; Eumque in lubrico judicium suum collocasse vociferatur. Primò quia cõmunis esse & vulgata sententia nequit, quae nec veteribus pluribus, nec recentioribus probata est multis. (*a*) Non veteribus, cùm hanc Jmaginem nequidem somniaverint, quin etiã ceteras exhorruerint omnes, & Ecclesiae regulis jussisque cõtrarias solemniter definierint.

(*b*) Non recentioribus provectioris aetatis, cùm tanta semper utrinque partium conflictatione convulsa etiam Catholicos in diversa seduxerit.

2do quia id etiam dubitant eruditiores, utrùm

Spiri-

(*a*) *Ex Orig. L 1. adv. Celsum. Ex Conc. Eliberit. c. 36. Ex Baron. ad an. 126. Ex Petav. lib. 15. de Incarn. c. 14. tom. 6. dogm. Theolog.*

(*b*) *Ex Greg. 2. Ann Eccl. ad an. 726. Ex Io: 22. Io. Aventin. L. 7. Ann. Bojorum. Ex Molinaeo. differt. de Imag. & Idolis p. 1. §. 40.*

Spiritus Sanctus ut Columba vifibilis fuper verticem Servatoris, itemq; an lingvarum ignearum flammulae fuper Apoftolos emicuerint cùm fecus Hugoni Grotio, Hammondo, & Clerico videatur, (*a*) quorum ea eft ex genuina textûs explicatione fententia, non ut Columbam Spiritum Sanctum, fed inftar Columbae, ideft columbinarum alarum Luxuriationem molli placidoq; fufurro imitantis fuiffe delapfum, & Linguarum ignearum dictione nil aliud intelligi & defignari, quàm dialectos allegoricè varias, quibus Apoftoli ad praedicandum Gentibus Evangelium inftructi funt. (*b*) Jdq; eò magis evincit, quòd nullibi locorum legitur divifas ignis flammulas Apoftolorum verticibus incubuiffe. (*c*) Quare Pontifici Summo non fuit liberum pro certo afleverare Spiritum Sanctum ex communi Ecclefiae fenfu & judicio ad columbae fimilitudinem linguarumq; ignearum exemplar depingi poffe, minus verò minusque, quòd verae columbae corpus affumpferit quemadmodum docuiffe patet in Tract. de D. N. J. C. Matrisque Ejus feftis, & Miffae Sacrificio. Ad

(*a*) *Ioan. Henr. Majus obferv. facrar. L. 2.*
(*b*) *Iofeph. Godefrid. Lachmacherius in obferv. Philofoph. p. 2. Obferv. 4.*
(*c*) *1. Cor. 11. & feqq. Jo: Markius in Exercit. Exegesi exercit. 36.*

Ad haec. Si Bellarmino (*a*) perlubet posse aliquid fingi per analogiam seu metaphoricas mysticasque significationes, quid prohibet Spiritum Sanctum sub juvenili formâ repraesentare? cùm duos Cherubos Arcam foederis adumbrantes Sanctum Spiritum exhibuisse, non pauci teneant,& in ecstasibus Prophetarũ sub Angeli specie locutum visumque esse testentur. (*b*) Quare ergo fieri potuit, ut Jmago haec Crescentiana mystica saltem & analogica Pontifici summo nasum conciverit,nisi verò florens aetate Juvenis, hominum integerrimo & modestissimo, ut nihil supra, in religionem venerit? Atqui in Catholicorum Templis quot imagines procaciores extant, quae severiori censurâ & reprehensione castigari mererentur?

Jllud tandem objicitur consequenter ad ea quae Pontifex pro fundamento novae Jmaginis abrogandae praemonuit, non esse aliâ formâ videlicet imagines Trinitatis delineandas, nisi quâ Trinitatis Personae ipsae, Scriptura teste, mortalibus apparuerunt. Fac ita esse omnino. At

nunquid

(*a*) *Lib. 3. c. 8. de Jmag. Sanctorum.*
(*b*) *Henr. Hulsius in dissert. de Cherubim gloria* §. 11. *Lampe comment. in Lib. 45. Jacob. Ode: Comment. de Ang. sect. 1. c. 5.* §. 17.

nunquid in forma hominis Deus Adam miserè in crimen lapsum exilio affecit? Nunquid in formâ senis Christum Dominum sinu suo complectentis superveniente Spiritu visus est Deus? Nunquid togâ illâ Pontificali triplicique coronâ ornatus apparuit unquam? Mehercle quot imagines tot portenta, & Romanae impudentiae deliria. (a) Et tamen piis Lutheri manibus Pontifex minimè parcit, ejusque nomini notam foedissimam impietatis aspergit, cùm neminem latere possit, Eum Carlostadio picturas conanti temerè ab Ecclesiis abjicere, firmiter obstitisse, Easque ad rerum memoriam, Martyrumq;& mysteriorum recordationem retinuisse.

En tibi, Exetestice, liventis satyrae potius, quám programmatis analecta, quibus Censor Regiomontanus Pontificis decretoriam epistolam infuscavit, eô consiliô, ut nulla esse in vado Catholicorum placita videantur. Sed quám facili negotio haec commenta, gravis quidem hominis, sed factiosi, exsufflentur, attende. Miror in primis admodùm virum talem, qualem in paucis numerant Lutheristae, & probitate & do-

ctrina

(a) *Petr. Molinae. in Differt: de Jmagini & Jdolis P.1. §. 24.*

ctrinâ verè praecipuum, calumniandi prurigine abreptum inconsequentiâ rerum sesquipedali peccare potuisse, eaq; propter, quia Pontifex ostenta dicit saepiùs occurrere commentitia & mendacia, inde temerè arguere, hoc esse in coetu Romano Lolium inexpugnabile, ut Augustanae olim confessionis cursoribus iam inde ab initio fuerat persuasum. Miror, inquam, ex benefacto Pontificis Gregi suo scabiem sedulò praecaventis, Eum ansam arripere, totum Gregem, Ejusque pascua ut detestabili peste corrupta magnis clamoribus praedicandi, inanemque hanc non raró phantasmatum illusionem ex Rom. Ecclesiae doctrinâ manare, quemadmodùm ab infecta fontis origine putidae limosaeque aquae proficiscuntur. Quin potius vigilem summi Antistitis navitatem laudare debuisset,qui Ecclesiae suae sponsae tantopere satagit, ut quae humanitus adnatant atque obrepunt, abigat procul.Sed haec vetus illius gẽtis sagacitas,ne dicam aliquid pejus, aranearum more, quem succum apes faciundo melli ex floribus deligunt, ad pestem perniciemque adhibendi. Quis enim nesciat, ubi sunt homines, ibi esse vitia, quae statim

tim à primâ illius creatione eruperunt? Numquid ergo cum Ada orta Religio, lege abstinentiae lata, fallax & veteratoria arguetur, quòd decepta sit Parens mortalium omnium miserrimè, fraude colubri insidiosissimi, qui mendacium omnium maximè noxiũ, & damnosissimũ incautae feminae levitati plenis faucibus propinavit? Non itaq; hoc vitio verti Religioni debet sed homini, cui ea est insita amoris sui quasi ebrietas, ut bona quaeque & Sancta interturbet, quaeq; magis sensibus lenocinantur objecta vehementer appetat. Verùm quis unquam sibi suadere possit Virum scripturarum gnarissimum ignorare apparitionibus semper, visisque mirabilibus Dei cultum fidemque puram & divinitus revelatam adolevisse, & ab ipsius infantia, memoriam praeteriti tẽporis repetẽdo, non alio lacte nutritã, fotamque esse ut cresceret & propagaretur? Visa antediluvianis & posteris Patriarchis exhibita in sacris paginis infinita (a) & deinde usque ad Moysen frequentissima. Post scriptam digito Dei tabularum legem & populo promulgatam, Prophetis, & Sanctissimis Regibus arcana coele-

(a) *Gen: c. 3. v. 8. c. 6. v. 6. c. 6. v. 12. 13. 14. c. 18. v. 1. c. 26. v. 1. & 2. c. 28. v. 12.*

ſtia & myſteria partim ad mores, partim ad religionem temperandam, ſtatuendamq; non luce ſolùm infusa aut animi afflatu, verùm etiam per Angelos, Eorumq; delegationem mirabiliter patuere. Jſta quis neſciat quòminus Deum ſciat, qui ſanè ni ſe manifeſtum & palàm Patribus oſtentaſſet, certa fuiſſet religio nulla, nulluſque cultus Dei religioſus. Condita Chriſti ſanguine Eccleſia & Martyrum fortitudine propagata iidem planè fontes rerum divinarum. Viſa, apparitiones, miracula. Petrum, Paulum, Joannem, Stephanum, ut alia mittam innumera, quae nemo unus Chriſtianorum ignorat, omneſq; perſpicua vident, Coeli hoſpites fuiſſe potius quàm terrae inficiari quis audeat? Perge porrò. Quot ſeculis Prophetiae donum per manuum impoſitionem collatum perſeveravit? Patratorum gratia miraculorum ubinam Gentium defuit? Aetatem Eccleſiae integram ſi percurras, nonne à I. uſque ſeculo, mirabilium, Deo in Sanctis ſuis operante, virtus hactenus extitit? (*a*)

At

(a) *Tertull de praeſcrip haeret.* c. 36 *Euſ. l.* 4 c 14. *Beda l.* 1. c. 7. *hiſtor. Anglic Niceph l* 14. c. 23 *Sigon in hiſt Bonon. l.* 1. *Surius Tom.* 4. *Marcell. in vitâ S Wiberti. Eginar. l* 2 c. 6 & 7 *Albert. Crant in metropol. l.* 3. c. 34 *Robert Tuitienſis in vit. Eriberti Archidiac. Colon Helmold in Chron Sclavon l* 2. c. 19. *Bonfin. lib* 7 *decade* 2. *rerum Hungaric. Thom. Bozius de notis Eccl. l.* 7. c. 1. *Petr. Maffaeus l.* 3. c. 14.

At enim fabulatorum semper numerus praeter modum. Et olim fuit: *Prophetae tui*, ait Jerem. *viderunt tibi falsa & stulta. Viderunt vana & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos.* (*a*) Quid propterea? Ideone quòd Ecclesiae Mosaycae Pseudo-prophetae plures nequiter illuserunt, Ecclesia illa fidelium tota superstitiosa fuerit & deerrans à veritate? Ad legem gratiae quod attinet, ex Jòële vaticiniū Petrus Apostolus mutuavit: *prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae & Iuvenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt.* (*b*) Quid ergo mirum si in vera Ecclesia haec hereditas à Christo tradita futurorum praesagio floret, quae in aliis coetibus jam decoxit? Sed comicum aurum pro coronario cuditur quàm saepissimè. Sit ita ut dicunt. Pontifex non inficiatur. Verùm quaeso, num aevo ipsi Apostolico haec macula procul absuit? Quot Apocalypses editae, Deus bone! Petri, Pauli, & Thomae nomine divulgatae? Quot revelationum volumina Stephano, & Joanni attributa? *de quibus verè dici potest*, inquit Hierony-

 mus

(*a*) *Thren. c. 2. Ezechiel. c. 13.*
(*b*) *Act. Apost. c. 2.*

mus (*a*) *quòd sedeat diabolus in insidiis cum divitibus in apocryphis, ut interficiat innocentem.* Mitto Montani insaniam, qui posterioribus seculis tertio scilicet ineunte, adscitis in fraudum & fabularum conspirationem nugacissimis feminarum Priscâ & Maximillâ,totam Africam callidissimè supplantavit. Haec ab ortu lucis Evangeliorum vel ad quaestum, vel ad superstitionem, vel ad errorem proseminandum commenta protinus extitêre. Et tamen ea erat illorum temporum persuasio, quae ab ipso Christi latere & disciplina proximè derivabat. Monstra haec nihilominus cum lacte fidei, & religionis prognata sunt; quò certè liqueat, malorum hominum deliramenta neque unquam defuisse, nec veritati immutabili, cum quâ uno veluti enixa foetu in lucem prodierunt, obesse potuisse quippiam.

Nunc verò haud secus; cùm sit homo quod fuit, eritque semper ad vitia pronus. Esse quippe non semel inanium phantasmatum deceptiones sponte concedimus. Fuerunt siquidem hactenus ab initio. At in aliis coetibus acatholicis

vix

(*a*) *In Isa. c. 64.*

vix audiuntur. Ea certè de causa, quòd ubi triticum deest, lolium minimè innascitur. Attamen fuit semper haec navitas in Ecclesia, mala gramina funditus eradicandi, quemadmodum ceteros in fide errores, qui subinde grassantur. Ergo inconsequenter arguitur. Pōtifex fatetur ipse, visionibus saepè feminas interceptas, quamobrem Patribus Augustanis meritò visum est in Ecclesia Romana fanatismum praedominari. Jllud, credo, debuisset aequiùs inferri. Ergo Rom. Ecclesia satagit cavetq; sed ulò, ut ne haec malarum pestium semina, quae inimicus Homo superjacit, inolescant, bonoq; tritico insurgant. Ergo Rom. Ecclesia strenuè fortiterque novis erroribus, qui suboriuntur, obnititur. Ergo Rom. Ecclesia magistra est infallibilis veritatis.

Quis autem nesciat ex ipso naturae nisu aliquando ecstases excitari, quamobrem mulieres hoc motu cerebri faciliùs aestuant? Tamen Spirituum discretio, cujus meminit Paulus (*a*) quaeque unicé à Deo manat, Lucem à tenebris internoscit, sique à regulâ fidei, & morum, & consuetudinibus, & praeceptis Ecclesiae procul abeant,

cùm

(*a*) 1. *ad Corint.* 12.

cùm veritas sibi constare debeat, ad fabulas rejiciuntur. (*a*) Rejecta est ideo Crescentiae visio, laudata virtus vitaeque morigerae temperatio. Jsta verò non pugnant; Sanctitas quippe minimè abest à periculo erroris, & Deus ipse aliquando ambiguè, & perplexè in Prophetis vaticinatus malae frugis homines in errorem induxit, (*b*) ariolantes altiora, & fortiora quaerentes curiosiús, plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt. (*c*) Quinetiam ibi obvium magis illusionis periculum, ubi Christianae vitae severitas & castigatio major. *Cibus enim Satanae*, Prophetis testibus, *electi sunt.* (*d*) Et Deo revelante cùm multa pateant, quia tamen aut non funditus percipiuntur, aut cōditione quadā tacita limitātur, ut Abrahae & Jacob nimirū accidit, (*e*) fieri quandoq; potest, ut qui haec praesagia, & ostenta praesentiunt, errore & fraude capiantur (*f*) Quod est in causa, quamobrem à privatis revelationibus, quas à primis Ecclesiae seculis extitisse afferunt

Patres

(*a*) *Videsis Card. de Lauraea. Bonam. Picum Mirandul Io Rusbrochium Petr. Thyraeum. S. Theres. S Thom. S. Io. à Cruce* (*b*) *Ezech c. 14* (*c*) *Ecclesiastic. c. 3. 6.* (*d*) *Habac. 1. v. 16. Bona. lib. de descript Spirit.* (*e*) *Gen. 15 & 46.* (*f*) *Vides. vir. cl. Ioseph. August Orsi. vindicias pro orthod. SS. Perpetuae & Felicit & soc. Martyr. cont. Basnag. S. August: de Genesi ad literam. L. 12. à cap: 1. sequ. Epiph. L. 2. cont. Haeret. haer. 48.*

Patres, (*a*) recedere unicuique fit liberum, cùm Ecclefiae judiciò ut probabiles, nihilq́; fidei & rationi & moribus abfonum continentes fidelibus proponantur; Etfi aliquando fide divina credi ab iis debeant, qui eas certo certius à Deo effe nôrunt; fide tamen Catholica nunquam credendas effe, ftatuendasque opinamur. (*b*)

Verùm mihi, cùm ifta literis traderem, Cochlaeus venit in manum, cujus operâ Lutheri acta circumferuntur. Ut mehercle totus obftupui! Nam quod Ego nunquam fufpicari aut fomniare potuiffem, ille idem ipfe, cujus haec Profelyti tantopere in nobis ac tam vehementer reprehendunt, ad vaticinia ad Angelorum colloquia & revelationes propheticas afpiravit. Quare Philippus Nicolajus (*c*) Tertium Eliam, & Joan. Aurifaber Summum Orbis illuminatorem, verum & admirandum Prophetam Lutherum vocant. Et reverâ ita effe, ut Apoftoli dignitatem, perfonamque Cenforis ageret, oportebat. Sunt enim fymbola, quae miraculis comitantibus, á Deo miffionem legitimam hactenus demonftrâ-

(a) Irenae lib 2. c. 57. Iuftin. in Apolog Orig. lib 1. cont. Celfum S. Cyprian. lib. 4. c. 5. Chryfoftom Hom. 8 in Matth Ambros. L. 7. epift 54. (b) S. Thom. q. 1. a. 8. ad 2. Petr. Ludov. Danes. P. 1. §. 3. n. 11. (c) In Theoria vitae aeternae. lib: 4.

monstrârunt. Et ne fides historicorum in dubium revocari unquam posset, quòd palpum obtruserint, ipse de se praedicat impudentissimè, quòd ii meminerunt. (*a*) Jllud tamen insigne, & ad haec usque tempora nunquam auditum externae, & aduentitiae visionis ostentum, monumentumque, quod latio donatū Lutheri assensu & auctoritate Justus Jonas in Acad. Witemberg. Canonum Antecessor illius Operum Tom. 7. inseruit, Zabuli nempe cum ipso mira de abrogandis privatae missae sacris & ritibus disceptatio. (*b*) Quàm mira inibi mali Genii sophismata, quibus ille miser est captus, quàm profuso sudore maduit, quàm vehementér alsit, atq; aestuavit. Utri magis sit comparandus, num Jacob, vel Socrati, alii viderint, quorum alter more Palaestritarum cum Angelo pedem contulit, alter ex affectata Daemonis consuetudine, capite damnatus est. Quàm bellè huc attinet, quod Ezechielis oraculo commonemur. *Vae Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident.* (*c*)

Sanè qui hoc Spiritu aguntur, acephalae

Eccle-

(*a*) *Jn Sympos. in epistol. In Exod. lib. adver. Angliae Regem. Jn praefat. de moribus Jn tom. 2. lat. Witemb. in assert. a 34.* (*b*) *Lib de captivit. Babylon. lib. cont. Zuingl. & Oecolamp. in confess. an. 1528. lib. de Missa privat. & unctione Sacerdot. Tom. 7.* (*c*) *c. 13.*

Ecclesiae imaginem, mihi crede Exetestice, repraesentant, cujus ea est in opinando licentia, ut nova cuique semper pro libito & cerebrosa Bibliorum interpretatione moliri sit liberum. Quot inde monstra absurdissima? Exemplo sit nuper insignis Atheus Joannes Christianus Edelmanus, cujus cogitata furiosi hominis potius & execrationibus plena anno 1740. 46. & 48. ex Inferni gurgustio prodita, quàm pessimo publico lucem infecerint, Martinianis ipsis nauseantibus persuasum, certumque est. Quos inter Fridericus Wagnerus Lutherani ministerii, ut ajunt, Senior Eum centumvirali judicio, trium scilicet librorum censurâ fodit, quòd in Ejus laudibus jure ponendum esse arbitramur. Age verò si cui veniat in mentem Lutheristarum dogmata ex Eorum praevaricationibus dimetiri, dic Sodes, Egone, an Auctor programmatis ratione evincet ex mali graminis herbarumque luxurie deplorandam agrorum fatuitatem? Vana ille siquidem & subdititia phantasmatum visa ex Ecclesiae Catholicae pollutis fontibus dimanare pugnat, quae identidem humanis erroribus accensentur. Ego verò ex hoc Spiritu libertatis effrenatissimo, qui

in diffidentium à nobis turba praedominatur, tot deliria in Deum, tot execrabiles opiniones, tot sectas multimodas sibique infensissimas proficisci contendo. Utriusq; Agri, amabo Te, solum fodito, non est cur multo labore sarrias, ut quid exinde progerminet, adsequare. Bossuetus Episcopus variantium sectarum placita suâ illâ historiâ ad aeternitatem elaboratâ concludit omnia, siquidem cum semper nova & monstrosissima perpetuò erumpant, concludi omnia posse putandum est.

Sed haec vetera. Ad caput redeo, unde Regiomontanus deflexit. Nolo enim fratrem, cui sanè mederi vehementer cupio, acerbiùs recriminari. Itaq; postquàm arrepta Crescentianae visionis opportunitate, quam Pontifex ad fabulas amandavit, Catholicae disciplinae morem acriter invectus est, in lineis pugnat illudq; velis, remisque contendit, ut pateat Pontificem aberrâsse, cùm Spiritum Sanctum ex communi Ecclesiae judicio ad Columbae similitudinem, ignearumq; linguarum exemplar pingi, fingique posse affirmavit. Atq; hinc iterùm in Tyria maria excursiones. Pleraq; nanq; omnia, quae Joh.

Dallaeus,

Dallaeus, Spanhemius, Chemnitius, quibus etiam poterat Johan. Hoornbeekium & Piceninum ex eorum hominum classe, qui in hoc genere disputationis familiam ducunt, adsciscere, in fascem ad sacras imagines abigendas, compilaverunt, nobis obmussitat injuriosè, quos Jconolatras & fanaticos, calido ut ajunt, mendacio recantat. At enim quandonam gentium haec putida Veteratorum calumnia obmutescet? Jconomachi sunt, & nos Jconolatras vocant. Et licèt toties ad ravim sexcentis editis Catholicae persuasionis explanationibus, querelis ipsorum rancidis & ineptissimis satis repositum, superq; fuerit, iterùm, atq; iterùm eamdem procaciter duro ore recinunt cantilenam. Nos ita stupidos esse & insanos contumeliosè contendunt, ut quem Beatorum signis & sacris divinitatis imaginibus cultum deferimus, ad muta potius & inanima monumenta, quod omninò iconolatricum foret, quàm ad ipsum Deum in Sanctis suis verè mirabilem referamus. Jliade certe prolixior fierem, siquae pleraq; in hanc rationem à nostris conscripta sunt velim commemorare. Sed tandem aliquando Jconomachi intelligant, nos imagini-

bus meré honorarium, Deo & Coelitibus verum perfectumque, pro ut cuiq; debetur, cultum praestare. Qui secus nos credere & agere pertinaciùs affirmant, ad illorũ pertinẽt damnationẽ quos Apostolus meminit (a) *Eò quod charitatẽ veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Verùm tamen ne praetermissa, perinde atque in salebris haereamus, consultò plurima videantur, repetita centies & centies in jus vocata, magnisque clamoribus utrinque acta, iterùm repetemus & recoquemus, ut desinant aliquando, si Diis placet, obtrectatores isti nequam nos maledictis incessere.

Dei & Beatorum imagines in Ecclesia signa sunt veterum mysteriorum memoriam fidemque excitantia. Jd etiam Lutheristae consentiunt. Quare ipsorum fana non plena tantùm sunt imaginibus, sed redundant; Calvinianorum nuda & velut in desertissima solitudine penitus inornata. Nolo hic loci me illorum garritibus interponere. Scio enim utrosque de crimine postulari. At si quidem interloqui liberum foret, interque pestes, quae

(a) 2. *ad Thessalonic. c. 2.*

quae sit nequior, judicium ferre, aequiorem me Calvinianis quàm Lutheristis praestarem, ea certè de causâ quòd cùm sacrarum imaginum usus in Templis laudabilis, atque utilis statuatur, non tamen ad salutem omnimodè necessarius haberi debeat, neq; ad verae Ecclesiae notas, ideamque pertineat, carere potius imaginibus propterea mallem, quàm Eas retinere permixté & confusè, ut Gnostici olim, de quibus Epiphanius & Irenaeus, Attalicorum more aulaeorum cum profanis, & non raró malorum hominum tabulis indecorè. Quae enim conjunctio Dei & Belial? Sacrorum scilicet mysteriorum, cum elegantibus aliquando & pretiosioribus Lutheristarum Doctorum imaginibus, ad intuentium admirationem elaboratis?

At oggerunt. Si more Catholicorum Imagines aris suffitu & thymiamate donarentur, aliaque fierent adorationis plagia, quae uni Deo competere ratum est, superstitione populus laboraret. Quid enim inter cultum Deo praestitum, & Coelitibus interesse deprehenderet, cùm sint quam simillima, & ferme paria ea cultus specimina, quibus Deum, & Coelites

lites adoramus? Quid inter prototypum, & exemplum discerneret vulgi ruditas, qui totus in oculis, in mente & ratione habitat nunquam? Huc propterea Deus cum respexerit, sculptile nequid fieret, imperavit. Haec si essent, crede mihi, Exeteftice, Ecclesia imagines extirparet. *Quoniam plerumque non res*, ut jam bene pręmonitum (*a*) *Sed causa rei pro scelere reputatur, dum videlicet multa, quibus benè quis potest uti, malè usa in flagitium convertuntur.* His adde, quod de Imaginibus retinendis vel adorandis mandatum nullum, nullumq; Apostolicum, aut divinum in Sacris Bibliis praeceptum est, illudq; tantùm Ecclesia Catholica, ut dogma fidei, profitetur: *cultum Imaginum Christi, et Sanctorum cum Lege Dei minimè gentium pugnare, quin esse potiùs Religioni utilem et consentaneum*; cetera ad disciplinam omnino pleraq; pertinere. Exinde ratio, quare haec variaverit, Patresque in diversa opinando abierint plures. Quid ergo nos ad infantiam Ecclesiae primam, & pueritiam provocant? Cui bono innu-

(*a*) *Auctor opusculi Carolin. Lib.* 3. *c.* 16.

innumeras, & interminatas de Patrum & Conciliorum opinationibus collectiones praetexere? quorum ea nempe erat sentiendi ratio quae & dubitandi, num plebes inde ad praevaricationem & offendiculum posent allidere; quiq; erant de suae gentis persuasione certiores ijdem & Imaginum vindices, qui verò contra, oppugnatores acerrimi. Quare Concilia & Patres cum Jconolatras invehuntur non cultum damnant, siquidem relativus est, & analogus, sed cultûs superstitionem, quam nos ipsi & reprehendimus & execramur. Et si cum aliquo honore dicimus Beatorum imagines esse tractandas, eò dicimus tractari debere, quo vasa rebus sacrificis initiata, quo Templorum adyta araeque & Bibliorum codices observantur. Balthasari, & Nabucho poena irrogata lòquitur ipsa. Ceterùm quis ignorat, multa initio fuisse vetita, aut praetermissa, quae subinde licita praeter piaculum invaluerunt? Literis politioribus Tertullianus, & Philosophorum Studio Junioribus interdixit (*a*) Et sanè pro conditione illorum tempo-

(*a*) *in L. cont. Marc. et tract. de Idolol.*

porum jure & naviter, ne fabulosa scilicet Deorum nomina, superstitionis memoriam veteris refricando, in transennam incautos, quod erat maximè pertimescendum, inducerent, ejuratae pestis vestigiis nondum obliteratis. Nunc verò quis dicat, Philosophos, et liberalissimas disciplinas per se esse periculosas, adulta jam religione, atque Ethnicismi fabulis ad figmenta rejectis. Abstinentiam à sanguine & suffocato Apostoli praeceperunt, interque Canones illius primae Synodi, reliquis propterea omnibus ad imitandum propositae, & Hierosolymis celebratae, in quà praecipuè agebatur, ne jugum Gentibus Mosaycae Legis imponeretur, jussam, latamque legimus. Cur ita verò? Ne scilicet cum Fidelibus Pagani confunderentur, quibus solemne erat his vesci ferculis non alimoniae tantùm, sed delirae superstitionis causâ (*b*) Dicatne aliquis ideò hunc Canonem Apostolorum id temporis obligare, cùm jam sit finis Legis abolitus, & sublestae fidei suspicio omnino absit atq;

evan-

(*b*) *Idem in Apolog. c. 22. Spenceus de Leg. Hebraeor. pag. 455. Orig. Lib. 8. cont. Cels.*

evanuerit? Multa praeterea id generis immutata. Sunt enim plurima & gravia, quorum Ecclesia, retenta re, magnis certisque de causis, ea deinde, quae ad majorem pertinent totius rei significationem, exclusit. Quod si in aliis, in Baptysmo manifestissimè constat, cujus vox ipsa Lavacrum sonat & immersionem, eaque propter tribus ferme supra decem seculis toto corpore immerso conferebatur, ut adhuc deductis ad flumina infantibus, Moschi faciunt. Alibi verò secus. Sed ista quorsùm? Ut videas potuisse tunc temporis attentis circumstantiis aliter esse, quàm modò usu Ecclesiae de imaginibus honorandis veniat. Quamobrem siquid valet Concilium Eliberitanum, de quo tantùm Dallaeus gloriatur, sibique plaudit, an. 305. habitum, novendecim Episcoporum conventu frequens, Provinciale scilicet, & nunquam Ecclesiae judicio ratum, quod etiam multa peccavit, fuit illi ratio, Sacras imagines à Templorum parietibus eliminandi eadem, quae fuit Sereno Massiliensium Episcopo, Gregorio Magno Pontifici ex parte probata, aliunde rejecta penitus,

tus, & reprehensa, (*a*) quod rem plus aequo institisset, ultraque limites adegisset, volebat nimirum Pontifex, haec summa est, ut ne imagines iconolatricé colerentur, aut ne Gentiū error Christianos crederet, lapides, ligna, & parietes adorare, aut Judaeis etiam occasio foret, ut S. Agobardus Arch. Ludunen. testatur, perperam suspicándi, Christianos idola non tam deseruisse, quàm immutasse. Quod Hoornbeechio de Judaeorum reditu quàm qui maximè navo argumentum est, quare ipsorum perfidia magis magisque obdurescat, perinde ac si ab Iconomachis ad Ecclesiam plures, quàm à Catholicis reducantur. (*b*) Nunquam verò Gregorius cultum ad prototypum relativum, ut Dallaeus calumniatur, ubi praeter idololatriae suspicionem adhiberi posset, expungit, id quod epistola ad Secundinum quinquagesima quarta testatissimum facit (*c*) in qua haec Gregorius. *Quod Imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi De-*

um

(*a*) *Epistol. quae est 105. Lib 9. & 13. quae est 2. et Lib. 11. edition. Benedictin. Sander: de Imagin.*

(*b*) *In examin Bullae Vrbani 8.*

(*c*) *Lib. 7. Epis: 54.*

um colas, sed ob recordationem filii Dei in Ejus amore recalescas, cujus Tu imaginem videre desideras; Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, *quem per Imaginem aut natum aut passum, sed et in throno sedentem recordamur.* Quaeso. Num luculentiùs Gregorius potuerit epistolam ad Serenum, in quâ triumphant, quasi nos nostris armis confoderent Etherodoxi, alterâ ad Secundinum datâ pro veritate suiq; animi sensu explicare? Sex centa forent ejusmodi refellenda malâ fide conclusa. Verùm me dies, locus, Spiritus, animusq; deficerent, si iis omnibus, quae objiciuntur iniquè & callidè, occurrere pro istorum hominum praevaricatione deberem. Ergo ad Eliberitani Concilii Canonem redeamus. Bellarmino & Perronio aliisque praesertim ex Canonistarum Scholâ perplacuit dicere, iccirco illis Patribus visum esse ità de Imaginibus Ecclesiarum parietinis iudicare & statuere, ne siquidem Paganorum incursionibus saepe bacchantium Imagines exponerentur, quod idem sacris vasibus praecave-

 bant

bant. (*a*) At si haec minimè quadrant, scias Provinciarum Synodos non esse illius ponderis, ac plenarias, minimi verò aut nullius, siquidem Ecclesiae nutu, ratoque judiciò careant. Quamobrem mirari non desino, tam vehementer Dallaeum sagacissimae naris hominem, Melchiori Cano eatenus subirasci, ut *novitium Magistrum ortae nudiustertius Paroeciae Episcopum*, Eum nominare non erubuerit, quod eam legem à Concilio Eliberitano latam (*b*) velut impiam, & imprudentem traduxerit. Meherclè quàm perperam, & injuriosè de Viro summo, cui parem neminem in toto illo novemdecim Episcoporum coetu invenire possis, etsi lucernâ illâ Cynicâ talem aut similem scrutarere. Non est ergo, cur tantùm furat & fulguret, quòd de Provinciali Conciliò paucorum Episcoporum Canus non ita liberaliter senserit, cùm scilicet ipse, aliique ejusdem generis Sectatores, etiam plenaria prae se coenum habeant, in quibus tamen ex toto Orbe Christiano plerique omnes, scitissimi,

(*a*) *Cajet. in illum Canon. Et Jo. Doujat in Praenot. Canon.*
(*b*) *de Loc. Theologic. L. 5. c. 4.*

mi, & selectissimi convenerunt. Non est oppidò cur Perronium (*a*) Sanderum & Bellarminum Grammatistarum scrupulis interpellet. Sed fac ita fuerit, ut Concilium nempe statuerit ritè & jure, Canusque praefervidè judicaverit. Non herclè id offero quasi concedam, sed ut de mediò, quae saepe incidunt disceptationes inutiles abigantur. Quid inde consequens? Jllud semper, quòd ejus aevi Patres, ut nulla occasio foret, quare ex veteri colendorum sculptilium usu, ad veram idololatriam cultus imaginum detorqueretur, tanta fuit illorum temporum circumspectio, ab Imaginibus abstinuerunt, ità paulatim abstractis ab omni materia formis, fidelium animis assuescentibus. Quâ de causâ ubi apud Graecos seculô sextô, aut ineunte septimô, coepit usus Imaginum propagari, nonne ideo signa sunt vetita & statuarum scalpta, quòd ea nimirùm quàm nimiam cum Idolorum simulacris similitudinem praeseferrent? (*b*) Quid autem discriminis inter cultum imaginum, &

(*a*) *Lib.* 2 *c.* 2.
(*b*) *Ex Epist. S. Germani Patriarch. Constantinop. ad Thom. Episc. Claudianopol.*

ftatuarum? Et fi pictarum Imaginum ufus probatus eft, ftatuarum verò improbatus, nulla ratio fuit alia, quàm periculum pufillorum. Huc certè attinet Michàëlis & Theophili Graecorum Imperatorum querela illa gravis, quâ Ludovicus Caroli M. filius exarfit, eaque propter ad Eugenium P. M. facta eft provocatio, debacchantibus in Oriente, fiquidem Graecis fides eft adhibenda, fuperftitionibus nefariis & fceleftiffimis, quarum ratione praecipua & Nicaena Synodus an. 740. jam celebrata non ubique Gentium obtinuit, & Francofurtenfis quatuor inde poft Annis, eodem adnitente Carolo, nationalis & trecentorum Epifcoporum conventu frequens, ut Elipandum Toletanum & Felicem Urgellenfem refutaret coacta, vel verfione Latinâ perperam elaboratâ, ut Grotio placet (*a*) vel ex literis Carolinis decepta, errore facti peccavit; quamq; debuifset fecundae Synodo Conftantinopolitanae fuperftitionem adfcribere, quae Imaginibus univerfis latriae cultum, ut Deificae Trinitati, paucis & bar-

(*a*) *In difcuff. Rivet. Apologet. ubi.* In iftâ malâ verfione fundari totam iftam criminationem qua Francofurtenfis Synodus Nicaenam adam infectatur apparet.

bardis Episcopis suffragantibus, attribuerat, Nicaenae secundae nil tale affirmanti, quaeq; *Sanctorum Imaginibus salutationem & honorariam adorationem decrevit* (*a*) *non veram latriam quae solùm divinae naturae competit* mendacissimè adpinxit, illudq; jussit (*b*) *ut Sanctis qui ex auctoritate pastorum & vitae merito electi forent, cultus adhiberetur.* Re meliùs expensa, & proposita, Nicaena exacto periculo recepta est. Russorum exemplô nihil ad rem opportunius. Ut primùm per Monachos Corbjenses Saxonicos ab Ethnicismo resipuerunt, in Idololatriam miserè relapsi sunt. Sancti Viti cultus in causa fuit; cui nempe in idolum converso Suantovis nomen vernacula voce indiderunt. (*c*) Recens nata religio & adhuc lactens ejusmodi praecisarum notionum abstracta, abdicatis nudiustertius idolorum figmentis, concoquere minimè potuit; quae mox utilitate rei verâq; honorariae adorationis disciplinâ perspectâ periculo procul edocta est, licèt adhuc à statuis gens illa praecaveat ex cõsuetudine inveterata. Neque suffitus, aliaeque honoris & venerationis sche-

(*a*) *Act.* 7. (*b*) *Can.* 42. (*c*) *Fleuryacus Lib.* 7. *histor. n.* 54.

schemae sunt fraudi populo, ut decipiatur. Sciunt enim funditus Nostri quod Lactantius edisserit, *ista mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta, ex quolibet materiae genere formata, nil aliud esse, quàm terram ex qua nata sunt*; (*a*) quemadmodum sciunt vasa & codices Evangeliorum & aras & templorum parietes, quibus etiam suffitum & thymiama adhibemus, materiam esse aliquam affabrè elaboratam, & quâ terra sunt & figmenta destruunt, quà sacra sunt, eo cultu habent, quo cetera religiosa, quae certè nemo irreverenter & temerè proturbaret. (*b*) Atque haec eò spectant, ut omnibus innotescat, quonam cultûs genere sacrae Jmagines à Catholicis honorentur, cui certè frivolum est ex adverso illud Exodi (*c*) tam saepe exprobare, quòd Deus nimirùm sculptile Jsràëlitis vetuerit, Genti scilicet ad idola jam pronae & ex Gentium consuetudine propensissimae, quare ante legem sculptilia et imagines licuisse, teste Grotio (*d*) Judaeorum sentiunt eruditiores. Frivolum magis, magisq; alienũ à rectà concludẽdi ratione, vel quae Xenajas Epùs Hierapoleos, vel quae Claudius Hispa-

(*a*) *Lib. 2 Instit. c. 2.* (*b*) *Leontius Cypr. Lib.* 1: *Apolog. Christian. adv. Judaeos.* (*c*) *Exod. 20.* (*d*) *Ibidem ut supra.*

ſpanus,aliique non pauci Jconomachorum Principes nobis impoſuere,de papyro in chartam exſcribere. Coeci enim ſunt & duces coecorum,auctoramento jam ſeruitutis addicti partibus veteratorum. Hoc eſt refricare obductam Chriſtianae Reip. cicatricem, faeceſque jam conſepultas refodere. Alter enim transfuga ex ſervo,errore hominum factus Epiſcopus, qui nondum Chriſto dederat nomen. Arrianus alter & bardus, qui de Arrianiſmo vehementer ſollicitus non agebat ſolum, ſed ſatagebat,ut iterum recrudeſceret. (*a*) Quàm pulchra meherclé contra nos teſtimonia! Nunquam verò Epiphanius, ut impudenter gloriantur, cujus epiſtolae pars extrema, quae de Jmaginibus circumfertur, ad ſubdititia rejicitur,cujusq; plenam atq; integram orthodoxiam ab omni penitus tam foedae criminationis calumnia ſeptima Synodus ſolidiſſimè vindicavit. (*b*)Duo quippe Gregorii Niſſenus & Nazianzenus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Cyrillus Hieroſolimitanus eâ aetatè cum vixerint, nemoque illorum unus uſum Jmaginum reprobaverit

(*a*) *Niceph. L.* 16. *c.* 27. (*b*) *Act.* 6. *Tom.* 6.

quis Epiphanium hujusce erroris jure audeat insimulare, quem coaevi illi Patres minimè insimularunt? Enimverò Epiphanius Diaconus commentarium illud de Jmaginibus, quo tantopere & praeter modum superbit Dallaeus, ut spurium damnat, (*a*) quemadmodum ceteras Gregorii Neocaesariensis Jconomachorum omnium legatione fungentis larvas & apinas, quae eadē sunt quae nunc recoquuntur, fregit. Ergo, ut Laquien probabili conjecturâ expiscatur, dicas potius non Epiphanio, sed Epiphanidi cuidam Manichaeo aut Xanajae illi Jconomacho esse accènsenda, quae *B. Patri Catholicae Ecclesiae Doctori* perperam adscribuntur. Quod autem certo certius est, nullum Graecum authographum illius epistolae, quam praeseferunt, alicubi fuisse inventum. Jn quo mira est, unde elabitur, Dallaei rima, nimirum carere nos ideo Graeci authographi monumento, quod omnia Jconomachorum scripta, post habitam Nicaenam Synodum, Constantinopolim adsportata atq; submissa in tenebris delituerunt, interea dum Epiphanius à totâ synodo Catholicus praedicatur. Aut igitur synodus

(*a*) *Act* 1.

dus conniventia peccavit, aut haec synodo minimè constiterunt quia nulla sunt; quidquid dicat Petavius, à quo Baronius & Bellarminus dissentiunt. Pugna haec, Exetestice, mihi crede, ingeniorum potius quàm rerum est. Jn eo siquidem aemulatio, num ipsi clarius an nobis Exodi sensus sculptile interdicentis illuceat. Qui ex opposito veniunt, sculpta omnia & picturata cum Dei mandato pugnare magna voce contendunt. Nos verò pugnare tantùm juramus sculptile, quod colatur pro Deo. Jlli cùm neque Ecclesiae auctoritati acquiescant & Synodos seditiosas & scriptorum in diversa abeuntiū opinationes, & consarcinatas ex omni fasce doctrinas in mediū afferant, eodemque modo rebus iis, quae nullae sunt, ut iis quae sunt moveantur, *mendacium arant*, ut loquitur Ecclesiasticus, (*a*) implicatissimū, nobisque odiū conflant, quod astu majori certant, quàm viribus, peracerbū, juxta ac de via decedere studeamus. Et sanè de via decedimus, quā Judaei. scilicet & Mahumedani instituerunt. Eam verò pergimus consularem, quā Magistra veritatis Ecclesia docet. Reverâ si quis haec velit defaecato ani-

(*a*) Cap. 7.

mo advertere, ecquid aliud scrupulum Lutheristis & Calvinianis injicit, quàm periculũ superstitionis idololatricae revocandae? Si id esset, meritò laudari possent. Hoc enim Ecclesia cavet quàm maximè, atq; ideo non eadẽ semper ubique colendarum Jmaginũ disciplina. Sed cur segniter agunt? cùm jam imagines pro memoria martyrum & mysteriorũ teneant? Cur suos minimè erudiunt, ut Catholici faciunt, imagines esse signa gestorũ recordationem, fidemq; excitantia, ut Eorũ prototypa venerentur, atquè imitentur, ceterùm nil aliud esse, quàm terram ex qua nata sunt (*a*) Vel enim putant Dei lege Jmagines interdici, tum verò neque ad memoriam, ut Judaei, Mahumedani, & Calvinistae, licet eas retinere. Ubi enim hoc lege jussum, cautumq; est? Sin minus, & duntaxat superstitionis periculum terriculamento est, ne pro diis prototypa, eorumq; imagines habeantur, ecquid tandem manum sub pallio tenent? Cur populum ex rudi doctum facere praetermittunt? Adeone bardus & stupidus, ut quam tot gentium captus etiam barbararum disciplinam adsequitur, adsequi ipse non queat?

Malè

(*a*) *Lactant. Instit. ut supra.*

Malè verum, mihi crede, ***examinat omnis corruptus Judex*** (*a*) Sed neque id est in causa, quare novis hisce Jconomachis Jmagines non probentur, neque ex mandato illo Exodi haec consequuntur. Alia è scatebra erroris equidem ista manant. Nolunt Sanctos qui beatitate potiuntur, invocari posse; (*b*) id enim Mediatori summo injuriosum, qui Christus est, protestantur & tamen generatim Eos pro tota Ecclesia precari ad Deum, Mediatori contumeliosum minimè putant. Nolunt Eos nostris precibus auscultare, quia ***aures habent & non audiunt;*** scilicet auditu carent, juxta ac nos ex hominum confabulatione nobiscum versantium auditum hunc metiremur, & non potius Deo piorum vota Coelitibus revelanti tribueremus. (*c*) Quid aliud est, Exetestice, bove venari leporem, & cochleas in litore depraedari ex inolita quadam prurigine calumniandi? Sed haec neq; sunt hujus temporis neq; loci. Ad sculptile provocant, vetitumq; Dei lege contendunt, ut aliis praetexant erroribus excusationem. Et ipsi nôrunt perspicuè, sunt enim Eorum multi rerum Sacrarum gnarissimi,

inge-

(*a*) *Horat. Saty. 2.* (*b*) ***Bartholom. Bythnerus. in respons. impres An 1618.***
(*c*) *S. Greg. M. lib. 12. moral. c. 13. & Joh. Alber. Fabrit. sect. 4 pag 30.*

ingenio florent, eruditione non carent, & ipsi nôrunt, quòd sculptile idolum sonat, sin minus, nec Cherubos Deus, nec conflatile serpentis aenei signum futurum Christi supplicium exitumq; significantis, nec varia tot animalium insculpta vasis ad sacrificia pertinentibus anaglyphica fideli populo permisisset. (*a*) Quid, quòd arca foederis Sācta & sacra habebatur & dicebatur? Quòd sanctiori loco sublimis in Templi adyto arcano, non autem inter profana adiafora visebatur? Quid tandem, quòd ut sui Jmaginem Deus eam adorandam colendamq; esse jussit, adhibito ad operandum sacris thymiamate, quod soli Deo offerebatur? (*b*) Ergo non sculptile, ut ut est, sed idolum ea lex exsecratur. Ergo suffectas in Arcae vicem Jmagines Deum adumbrantes adoratione cultuque prosequi, si quis iconolatricum affirmaverit, vehementer errat, neque unam syllabam peccat, sed apertissimum scripturae sensum integrum intervertit. Denique ut ex hoc vado emergamus, aciemque ostendamus nostram, duo mihi liceat, cùm sint innumera, ad prima, unde discessimus, redeundo, ex Augustino & Bernar-

(*a*) *Orig. hom. 4. in Exod. Theodor. q. 38. in Exod Num. c. 8. v. 21.* (*b*) *Jer. 7. Psal. 98. I. Paralipom. c. 28. Exod. c. 30.*

Bernardo testimonia proferre, ut quâ scilicet anchorâ Beatorum cultus & invocatio innitatur, funditus pateat. Jllud in primis: *Cùm merita nostra nos gravant*, ait Augustinus (*a*) *ut diligamur à Deo, non dubitemus relevari apud Eum illorum meritis posse, quos ipse diligit.* Huic monito sapientissimo Bernardus consonat consequenter (*b*) *ergo Mediatore opus est ad Mediatorem* id est mediatore intercessionis ad mediatorem Redemptionis. Confessio Wittemberg. & ipsa concordat, quin id Mediatori summo, ex quo ratio merendi tota oritur, injuriosum, pudendumq́; esse vereatur. Sed & Basilius de se ipso testatur. *Historias imaginum illarum honoro & palam adoro. Hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis non est prohibendum.* (*c*) Veruntamen cum de traditionibus loquimur, Domini Lutheristae repentè nauseant. Audiant saltem Hieronymum de Reliquiis, (*d*) utrobique enim par ratio militat: *Honoramus*, inquit, *Reliquias Martyrum, ut Eum, cujus sunt Martyres, adoremus, & ut veneremur Eos, qui Templum Spiritûs San-*

cti

(*a*) *Q. 148. in Exod.* (*b*) *de m. Virg serm. qui incipit:* Signum mag: apparuit (*c*) *relat. à. Casal. de vet. sac. Christ. rit. c. 2. de Sac. Jmag.* (*d*) *epist. 53. ad Riparium.*

cti fuêre. Vae miſero mihi! Hoornbeekius obnunciat, totusq; eſt, ut, quemadmodum Gisbertus Voêtius (*a*) in Sanctis Chimericis numerandis laborat, qui tamen non chimericis ut plurimùm, ſed ſymbolicis accenſentur, (*b*) & ipſe omnium reliquiarum, quae fortè fluctuant, ſubducat ratione calculum, atque iſta diſſimulans humanae fidei & memoriae permitti, quamobrem loci error non autem objecti reprehendi poteſt, naevos omnes & rugas digitis dimetitur. Unde verò iſta prodeant tam infenſo animo excogitata, en Tibi originem perſpectiſſimam. Ceremonias ſenſibiles, ritumque externum in crimen vocant, nobiſque obſtrepunt ut inſanis & à Religionis indole & ſimplicitate abhorrentibus clamoſiſſimè. E Spiritu toti, quidquid corporeum eſt, averſantur. Stantes orant, nudoque capite pileum oculis admovent, ne fortè rebus incurrentibus diſtrahantur. Scripturae ne habent textum aliquem hujuſce ritûs vadem? Jpſi viderint. Chryſoſtomus tamen, aliter atque illi, cogitat. *Si tu incorporeus eſſes*, inquit, *nuda ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi*, *quoniam verò corpori*

conjuncta

(*a*) *de Sanctis Chimer. diſſert. ſelect. P. 3. pag. 472 & ſeqq.*
(*b*) *de SSorum Beatit. Bellarm. L. 1. c. XX pag. 917.*

conjuncta est anima, in sensibilibus colligenda traduntur. (*a*) Quaeso. Quidnam Dei consiliis homo & agendi nobiscum rationibus non accedat? ut quemadmodum ille in sensibilibus mysteria constituit, nos item in sensibilibus mysteria colamus? Quot Deo populo ceremoniae propterea praescriptae jussaeq; sunt? Nonne Deus ubique est, & ubique adorandus? Quid ergo Templi constructio praecipitur? quae est omnium ceremoniarum maxima, externique cultûs praecipua. Num Ecclesiae parietes rogando precandoque vim augent efficaciorem? Quid Acatholici philosophentur, nescio. At Chrysostomus ita sentit & statuit. *Te homo, decipis & magno in errore versaris, nam etsi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam benè ores, quàm in Ecclesia.* (*b*) Sed fac ita sentiant. Jllud tamen vehementer urgent quamobrem illic potius, quàm alibi, ad eam fidentiùs, quàm ad aliam procumbant Jmaginem, voti causâ? Eorumdem quippe sunt prototyporum signa eademq; rerum memoriae & effigies. Sunt equidē. Verùm spem aliquae fidēq; excitant Deo movente

(*a*) *Hom. 48. in Matth.* (*b*) *Homil. 30. cont. Anomaeos*

vente certiorem, unde petitis piorum vota potiuntur. Scirem perlibenter, quâ nam de causa, Aaroni & Moysi, sua cuique virga cùm foret, ea dumtaxat Aaronis tam mirabilia patraret, idque vel jussu, vel manu Moysis operante, nullum verò signum Aaron suâ, nullumq; suâ Moyses efficeret? (a) Mihi enim verò ratio suppetit nulla, nisi quàm Jobus de Providentiae arcano cogitans mirabundus expressit *quis potest dicere ei, cur ita facis*! Jdem omnino de signis, sacrisque imaginibus fidem magis minusque excitantibus valet. *Quis potest dicere ei cur ita facit?* (b) Haec ita esse perspicimus, cur autem ita fiant ignoramus, nisi ea Deo volente dicamus esse.

At quae Basilius Magnus ille Graecorum Pater asseruit & naturâ rei & experientiâ nobis certissima, quòd ubi *per vim*, ut ait, *illuminatricem intendimus oculos in pulchritudinem Jmaginis Dei invisibilis, per hanc ad pulcherrimum Archetypi spectaculum supervehimur*. (c)

Dallaeus hìc natat, & torvum tuens nos iterum ad initia revocat. Antiquitatem repetit seculorum primam, cumq; sint, qualis hera,

tales

(a) *c. 7. Exod. Num. c. 17. v. 10. & cap. 20. v. 7. & 11.* (b) *c. 9. v. 12.*
(c) *Lib. de Spi: Sancto c. 19.*

tales pedissequae, ejusdem surfuris ceteri omnes historiarum rudera, & monumentorum vetustissima perscrutantur, ut Trinitatis imaginem, Deiq; effigiem velut exoticam ab Ecclesia rejiciant, eaque propter nos sceleris & amentiae convincant. Nicolai primi Pontificis aevo, dicunt,adhuc in arcano latebat. Esto. Sed quot hac lege priscis illis seculis tenebantur? Catechumenorum disciplina id apertissimum facit. Mysterium Eucharisticum idolorum cultoribus ne innotesceret, circumspectio quanta? qui nos anthropophagos esse in suspicionem venerant, quare Aquariorum haeresis grassata est. Urgent magis. Septimae Synodi de hac Trinitatis imagine silentium magnum; quamobrem Bellarminus, an sint Dei Imagines adumbrandae, non adeo certum, ratumque esse, quemadmodum Christi & Sanctorum,docet. Praeterea Tostatus Episcopus, Pereirus, & Durandus ex nostris contrarium ponunt. Quid ergo Pontifex de Ecclesiae communi sensu & judicio gloriatur? In primis haec permittimus ita esse, neque enim est nobis de ultima antiquitate contentio. Immemorabilem tamen

Christianus Lupus hujusce Imaginis in Ecclesia morem cùm fateatur, quare etiam potuerit usu memoriâ Patrum venire probarique nostris majoribus, explicavit: *Deus enim qui est invisibilis, & incorporeus, non per propriam substantiam divinitatis, sed per subjectam Creaturam mortalium oculis patuit.* (*a*) Concordat Grotius, quo Romanum Theologum ad rem magis loqui aut validius posse minimè puto, ubi supra de Riuetiano Apologetico examen ornat suo more gravissimum, & judicium profert. *Certum est, inquit, si eo animo simulacra aut etiam historiae, quales dixi, fiant, ut credatur Deus homini, aut animanti alicui similis, id illicitum esse. Patet hoc per se, & docetur à Paulo* (1. ad Rom. 23.) *At verò naturaliter non esset illicitum Deum eâ formâ exprimere, quâ se Patribus conspiciendum dedit, idq; ante legem licuisse sentiunt Iudaeorum eruditi; nec* Deo *injuriam fieri si non naturam Ejus, sed majestatem adumbramus, & majestatem, quae inter homines maxima est, puta potentissimi Regis, sensere Philosophi.* Haec Grotius bonâ fide & ingenuè.

Aliam

(*a*) *Tom. 2. Scholior. in Canon.*

Aliam ergo viam Spanhemius & fagaciùs ingreditur. Factum non inficiatur, Deumque humanâ formâ, & Spiritum Sanctum fub fpecie columbae corporea, minimè quidem in fua fubftantia, ut Angelicus docuit, fed ratione figni comparuifse, (*a*) non diffitetur. Scriptura liquet, (*b*) atque haec dubitare patitur neminem. Verumtamen elencho inconfequentiae peccare nos clamat. Ait enim. Spiritus Sanctus apparuit fub fpecie columbae corporea, ergo fub eadem fpecie licet nobis Spiritum Sanctum repraefentare? Nihil profectò minus. Apparere fiquidem hoc modo voluit Deus, pingi autem fefe coloribus noluit. (*c*) Enim verò fi ea de caufa quòd apparuerit, pingi Spiritus Sanctus, fingiq; pofset, quare etiam fub fpecie flatûs, rubi, leonis, ignis, turbinis, lingvarumque ignearum repraefentari minimè queat? Quare Angelorum formam, fpeciemq; rejicimus, quibus olim fchemis, fcriptura tefte, fefe ille mortalibus manifeftavit? Ubinam locorum adorationis, & religiofi cultûs mandatum? Ubi

(*a*) *D. Thom. 3. P. q. 7. a. 5.* (*b*) *Gen. c. 3. Exod. 33. Apoca. c. 7. Matth. c. 3 S. Auguft. lib. 2. de Trinit. c. 11.* (*c*) *Exod. 22. 4. Deut. 4. 15. Isa. 48. 18. 46. 5. Ad Rom. 1. 23.*

seni barbato Filioque columba ista sociata sensibilis visa est? Haec Spanhemius. (*a*) Cui admodum paucis. Spiritus Sanctus itaq; sub specie columbae corporea, tamquam signo efficientiae suae, & operationis assumpto comparuit. Jtane? Habeo quod volo. At etiam sub aliis schemis apparuit. Esto. Cur propterea sub aliis formis minimè repraesentandus? Ratio liquet. Quia cùm Ecclesiae consensio & consuetudo jam à pluribus seculis inveterata hanc patentiorem Sancti Spiritus adumbrationem omnium veterum figurarum aenigmata luculentiùs significantem semel acciverit, & probaverit, fueritq; ab initio, cùm coepit, sub hac una forma Spiritus charitatis repraesentatus, cur aliis symbolis, prout cuique placet, Spiritum hunc exhibere sit liberum? Nimirum, ut ne Ecclesia sibi ubivis gentium constet, fiatque, ut illa olim Babylon, confusione lingvarum varia dissimilis, & discordans. Jd ab Ecclesiae regulis alienissimum, quae unanima est & cohaerens. Poterat, non negamus, sub aliis formis Spiritus hic exhiberi, Ecclesia siquidem maluisset.

At

(*a*) *Theolog. Oper. P. 1. Loco 9.*

At enim myfterium reconditum, et Patriarchis duntaxat commifsum, plerisq; ceteris in ignoratione verfantibus, nova deinde illucefcente Evangelii gratiâ detectum, cur, quaefo, à veterum figurarum obfcuritate, minimè verò à perfpicua Evangelii revelatione repeti debuiffet? Jlla omnia Interpretibus difceptantibus revocari in dubium pofsunt, & revocantur, nec fingulis certum eft, num verè de Spiritu Charitatis exponi debeant. Haec funt in medio, iifque tantùm latere poffunt, qui cuncta volunt incerta effe, & nefciri, quemadmodum ftellarum numerus par, an impar fit, ignoratur. Quid ergo Angelós nobis, quid Leones, & nubes Spanhemius loquitur. Integra Baptyfmo Chrifti Trinitas adfuit, & fub afpectum venit. Vox quippe Patris intonuit, Spiritus columbae fpecie fenfibilis vifus eft, fupraque verticem Servatoris ftetit, ut nempe ab omnibus confpiceretur, & à Praecurforis vita fpectabili, ut Hieronymo placuit, Chrifti divinitatem & genefim difcriminaret. Nec barbati fenis facies chimerica, quam liber Apocalypfeos ad vivum expreffit. Licet enim ibi,

ut

ut volunt, tota Divinitas figuretur, originem tamen, & quasi radicem divinitatis, Personarumque processionem, ejusmodi formâ, quâ patuit, delineamus, cùm Filius, & Spiritus aliter comparuerint. Verùm iterum certat. Apparere hoc modo voluit Deus, pingi verò, fingique, aut mormoribus, aut coloribus vetuit. Sine mandato ullo repraesentandi visio illa extitit, addo etiam, sine tabulae, aut marmoris, aut Phrygii operis, aut anaglyphici praescriptione, nulla item adorationis & religiosi cultûs mentione facta. Quanta herclè, sagacitas hominis cavillantis! quem minimè fugit, utpote in divinitate totum interpretandâ versantem, speciem ritus & ceremoniae esse cultum, quamobrem Christi Ecclesiam in hoc genere Religionis liberam extitisse, prout ipsa confessio Helvetica protestatur. (*a*) Neq; ut cultus sit licitus, ait Grotius, (*b*) *Eum necesse est Deo jubente praescribi, non enim omnem cultum sponte susceptum damnat Paulus.* (*c*) *Iste enim damnasset & Abelis sacrificium, quod non ex prae-*

(*a*) *In Praefat.* (*b*) *Lib. 4. Pro verit. Relig Christ.* (*c*) *Epist. ad Colost. c. 22.*

praecepto divino, sed ex humano venisse instituto, veterum sententia docet. Quid ergo Spanhemius latrat, cum idem planè dissidentes à nobis sentiant? Nam & nos, nos, inquam, Deum pingere, aut fingere, nec cogitamus quidem. At earum rerum speciem, quâ, ut nostris sensibus comprehenderetur, apparuit, symbolicam adumbramus. Pudeatne nos Eum, ut maluit, sensibilem & spectabilem demonstrare? Quis autem Dei substantiam invisibilem subjicere oculis posse praesumat? Id veteris testamenti paginae vehementer urgent, ne cui unquam suspicio incideret, Deum esse ex aliqua concretione corporis & subtiliori, ut perperam Anthropomorphitae deinde somniarunt, materiâ factum. Humanas iccirco formas corporeas minimè illi nôrunt, quibus postea, & aeterno Patri Verbo, homine assumpto, & venis, ossibus, nervisque compacto, ut formam servi acciperet, gratiae lege liberiùs veterum figurarum aenigmata retegente, novae adoptionis filiis voluit Deus magis sensibilis revelari. Et cùm Arca foederis, propterea quòd Dei symbolum praeseferret, religiosa veneratione, ri-

tuque maximè coleretur, quin Exodi vetitum repugnaret, rogo, quamobrem nobis scrupulum velint, Dei mandato perversè, & praeposterè objecto exhibere, quia nos Dei formam non quidem chimericam, aut ex cerebro natam, sed quam ipse sibi corpoream finxit, ut sese nostris sensibus accomodaret, repraesentamus? Eamque non ex praecepto quopiam, sed ex utili, piaque ad spem excitandam, memoremq; rerū divinarū captum fide potius, quàm oculis adsequendum, institutione, exponimus & honoramus, interea dum ad eamdem suppliciter procumbentes, Deum invisibilem, non autem Imaginem adoramus. Haec fortasse pro ea, quâ valet ingenii sagacitate, quae ratione magis, quàm sophismatibus pugnat, Rectori Regiomontano facilè probarentur. Attamen haeret aqua scribenti ea de causa, quòd eadem non sit omnium unanimis explicatio, fuerintque aliqui, ut Grotius, Clericus, & Hammondus, queis visum illud de Sancti Spiritûs super Christi lavacrum apocalypsi ex Graeco exponentibus, non Columbam, sed instar lapsûs columbae, alarum scilicet leniter remi-

gan-

gantium luxuriationem interpretari perplacuit, quemadmodum non linguas igneas, aut faculas, sed globum aliquem comparuisse super Apostolos tradiderunt.

At sinas hic, quaeso, Vir praestantissime, me paulò agere liberiùs tecum. Tune ista mysteriorum sacrarumq; literarum intelligentiâ, quâ tantùm omnium auribus celebraris, Tu ista doctrinae laude, Tu istis moribus, in quibus, praeter alienam à nobis persuasionem, excipiam nihil, haec orthodoxis objicere, summoq; Antistiti Christianorum audes? Fateris, morem hunc pingendi fingendique sub specie Columbae Spiritum charitatis ab antiquissimis seculis traditum dimanâsse, & quidem solidè & eruditè. (*a*) Patrum fermè omniũ testimonia consentiunt. (*b*) quos inter Augustinus in primis docuit: *Spiritus Sanctus duobus modis se visibiliter ostendit, per columbam super Dominum baptyzatum & per ignem super Discipulos congregatos.* (*c*) Evange-

(*a*) *Ex Paulo Aringhio. Novarino & Bonarroto. Arin L. 2. c. 22 pag. 228. Novar L 1 elect. sacror Bonar. de fragm antiquo vas vitreor p. 5.* (*b*) *Anselm Paschas L 2 in Math Dionys. Alex in Samosat q 5 Cyrill Hierosol. Catech. 10 & 50 Orig hom 2 in Cantic Theophyl Chrysost & Greg hom 30. in Evang.* (*c*) *August. tr. 6. in Jo. Idem tr. 7. in epist. Jo. ad finem tom. 9.*

vangelii textus sole ipso clarior. (*a*) quare Lutherus & Spanhemius minimè audent hiscere. Ebion ipse & Cerinthus execrabili convicio confessi sunt: *Christum tantùm esse hominem communem, natum ex semine Ioseph, in quem adultum Messias in Specie columbae descenderit.* (*b*) Cujusmodi visionis tanta fuit apud Veteres opinio firma, ut dubium moverint, an verum animal ea Columba Paraclitum, Ejusq; dona designans extiterit, sintq; in utramq; partem acriter disceptantes, ut Augustinus & Thomas literis prodiderunt (*c*) Praeterea Columbae formam argenteam, aureamq; lavacris olim omnibus & quàm frequenter Altaribus superpositam non ignoras, & Basilium Magnum Columbae ejusmodi thecâ Eucharistiam includere consuevisse. (*d*) quem morem alicubi Galli student hactenus retinere. Haec Te omnia minimè fugiunt. Cur ergo vis Pontificem sapientissimum aberrasse, Ejusque decretoriam epistolam posito fundamento defi-

cere-

(*a*) *Act 2. v 3 Jo. 1 n 23.*

(*b*) *Eusebius lib 3. c. 27 & 28 & L 7 c 23. Epiphan tom 2* (*c*) *Cypr L de unit. Eccl. c 6 Paschas L 2. in Math. D Thom 3 p q 76 a 8 D August. L. 2 q Evangelicar q ult.* (*d*) *Amphiloch in vita ejusd. Baron. ad an 57. Molan. de hist Sac. Jmag. L 2 c. 8. S. Paulin. in suis carmin.*

cere, ea propter, quód amoris Spiritum ex communi Ecclesiae sensu & judicio, non nisi ad Columbae similitudinem, linguarumq; ignearum exemplar effingi posse decreverit? Ex vestris unus & alter, ex veteribus,quod sciam, nemo, etsi multa peccaverint, ita sensit. Quid? Hisce ergo,cùm & paucissimi sint & vestri, debebat Pontifex connivere, ceterorum omnium judicium habere nauci? *Ecquid*, Tertulliano utar irato, *ecquid verisimilene est, ut tot ac tantae Ecclesiae in unam fidem erraverint? Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat, interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur?* (*b*) Age verò. Num commune Ecclesiae judicium, in hoc enim versatur cardo reprehensionis tuae, dici propterea nequit, quòd binis centesimis ex adverso pugnatum est? At ubinam unanimitas in Ecclesiae etiam plenariis conventibus necesse fuit, ut jussae, lataeque de fidei regulis, morumque normâ sanctiones fidelibus proponerentur? Jdeone, quia de multis dubitatum est olim, liceat adhuc post Conciliorum Oecumenicorum definitiones & oracula dubitare?

(*a*) *Tertull. de Praescript. c. 28.*

bitare? Jd si foret, dubitabimus hactenus & inposterum, an Pagani ad Christum conversi sint circumcisione initiandi. An dies Sabbati & Neomeniae, aliique Hebraeorum ritus peragi à nobis debeant. An sudor ille Sanguinis visumq; Angeli futuram Christi exitûs acerbitatem amantissimè consolantis, quorum Lucas & Marcus jam meminerunt, sint commentis & fabulis adnumeranda, quòd ea Manichaei ex apocryphis dubitaverint. (*a*)

Pyrrhones isti, Vir magne, ut in omni genere doctrinarum, sic & in Religionis negotio sunt admodùm permolesti. Omnia interturbant, omnia incerta esse volunt, in patentissimis etiam haesitant, molemqué excitant difficultatum & scrupulorũ rudẽ & indigestã, ut opinionũ nube mortalium animos hebetent & eruditiores ceteris videantur. Sed quando nam inter vos poterit convenire? Porrò enim *Deus, non dissensionis est Deus,* inquit Paulus, *sed pacis.* (*b*) Septem hominum Sectae vos inter per digitos numerantur. Pietistae nudius tertius, epistolae illi stramineae, quam Martinus exsibilabat, Augustino fortasse

(*a*) *Luc.* 22. *Marc.* 16. *Hieron. L.* 2. *cont. Pelag.* (*b*) I. *ad Cor.* 14. 53. *Luc.* 11. 27.

fortasse duce (*a*) aequo animo auscultant, vestrisque fanis atque conventibus abstinent, quos diris omnibus exsecrantur. Utinam aliquando sibi etiam in ceteris videant! Neque ista sunt ex eo genere, quae Scholarum disputationibus permittuntur, sed solidissima & momenti praecipui, de quibus jam ab Ecclesia decretum est & solemniter judicatum. Vestra omnia natant, mihi crede, quòd ea non ad Episcopos & Sacerdotes, quibus Ecclesia commissa est, (*b*) non autem profanis arbitris, referuntur. Quae verò Ecclesia consistere ut Aério placuit, sine Episcopis possit? (*c*) quodque omnium intereſt maximè, sine capite & Principe Sacerdotum, qui sit centri instar orthodoxae unitatis? Omnibus retroactis seculis persuasum communiter tenebatur, licèt haereses non deessent, quae ab incunabulis religionis continuò ambitiosorũ hominũ astu eruperunt, Ecclesiã supra petrã à Christo fundatam visibilem & infallibilem non posse deficere, ejusque judicio & potestate dissidia componi cuncta oportere. Concilia, Patres haec vestigia institere. Florentinum

mille

(*a*) *De fide & operibus. c. 15. tom. 4. circa med.* (*b*) *S. August. haeres. 53. cont. Aerium.* (*c*) *Jo. Damasc. v. 2. de Imagin.*

mille & quingentorũ Episcoporũ tam Graecorum quàm Latinorũ conventu, omniũ plenissimum & celebratissimũ quid tandẽ statuit? *Definimus*, inquit, *S. Apostolicam sedem & Rom: Pontificem in universum Orbem tenere Principatum, & ipsum Pontificẽ Rom. Successorẽ esse B. Petri Principis Apostolorũ & verũ Christi Vicariũ, totiusque Ecclesiae caput & omnium Christianorum Patrem atque Doctorem existere. Et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi universam Ecclesiam à D. I. C. plenam potestatem tributam esse.* Huic alia multa Oecumenica aut facem praetulerunt, aut calculum addiderunt. (*a*) Ab hoc capite segregari, ceterisq; Episcopis longè abesse, schisma est omnium scelerum scelestissimum. *Schisma est Eorum*, ait Augustinus. (*b*) *qui se sanam fidem profiteri praeseferunt, avulsi autem sunt & abscissi, & adversùs canonicos Episcopos congregationem faciunt.* Consonant Patres seculorum omnium

(*a*) *Nicen. 1. c 6 Constant. 1 oecum 2. in epist. ad Damas. Ephesin 1. oecum. 3 ex Evagr l. 1 hist c 4 Chalced 1 oecum 4 & 7 act. 2. Later sub Innoc. 3 c 5. Lugdun. sub Greg. X. c. ubi periculum.* (*b*) *Lib. 1. cont. Lib. Petil. c. 4.*

mnium. (*a*) Equidem nescio, quo possit effugio Vir sapiens pro sua aequitate & prudentia, tantarum auctoritatum Virorum que consensum & judicatum negare. Enimverò Augustino, qui, ut credo, minimè erat ex trivio aliquis semidoctus & bardus, ita haec ceteris praeponderari videbantur, ut liberè & coram profiteretur: *Multa sunt, quae in Ecclesiae Romano-Catholicae gremio me retinent. Tenet consensio populorum & Gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, ne nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tespet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus cōmendavit, usq; ad praesentē Episcopatū successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicae nomen.* (*b*) Etsi tamen scio cuncta haec beneficiô vestrô luxari, rejici, deturbari, & desultoriae scientiae

N arte

(a) S. Jgnat. in epist. ad Rom. S. Jrenaeus L. 3 adv haeres c. 3 S Cyprian. L. 4. epist 2. Lib. 2. epist. 10 ad Corn & epist 8 ad plebem univers S. Athan. epist. ad Felicem Papam. S. Hierony in dialog cont Lucifer S Ambr. in c 3 ad Timoth. S Chrysost. L. 2. de Sacerdotio ep 1 ad Jnnoc Papam Damas. in epist ad Ep. Numidiae. Syricius in epist. ad Terracon S. Jnnoc in epist ad Conc Mi evit. Cassiod L. 2. epist 2. ad Jo: Pap S. Anselm. L. de Jncarn. c. 1. Hugo de S Vict. L 2 de Sacram. p 3. c. 15. Oecum in Act. Apost S. Bern. L. 2 de consid Hugo Etherian Graecus L de process Spir cont Graec lib: 3. c :7. Arnob in Ps. 75. Euseb I. 14. c. 15. & in Cronic an. 44. Euthym. & Theoph. in c. ult. Joan. (b) S. August. cont. epist. fundam. c. 4.

arte eludi potius, quã evinci, in quo Lutherus excelluit, cujus Pontifex piis manibus, ut miserando patheticè quiritaris, parcere debuisset, etsi Georgius Saxoniae Dux (*a*) Et Carolus V. in edicto Wormatiae lato, (*b*) et Zuinglius ipse, dum adhuc in vivis ageret, haudquaquã pepercerint; (*c*) Scio etiã Te, Vir clarissime, penitiori, quàm ceteri, intelligentiâ praestent, laudabiliter eminere, quamobrem ea Te credere, quae servitute scilicet auctoratus scribis & praedicas, nunquam suaderi patiar juratus. Concluse & paucis. Neque ergo Pontifex alucinatus, quòd decretoriam suam dixerit ad communem Ecclesiae sensum, moremque respicere, reapse cùm istuc ex superioribus pateat, neque Tu eô animô invectus es, ut haec nobis fucum facere *existimaveris*, cùm cordatissimus sis & perspicax, atque ex opposito veritatem stare, quàm qui maximè intelligas.

Ceterùm, siquid excidit mihi minus moderatè, minusque aequabiliter dictum, cum veniâ legas. Dolori id tribuas, animiq; tristitiae gravi aegrè ferentis, Viros omnigena eruditio-

ne

(*a*) *In Tom 3 Luth. German.* (*b*) *Ann. 1521. extat in Tom. 2. Lat. Wittenb.*
(*c*) *Epist ad Esling. Tom. 2.*

ne commendatissimos, quique admodùm de Christiana rep: meruissent, siquidem moveri gradu fortiter renuissent, in tot doctrinarum scopulos, fluctusque opinionum miseros incidisse. *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam Te in visceribus Iesu Christi* (*a*) Utinam haec amicè à Te excipi probarique contingat, quemadmodum amicè à me, & ex animo proferuntur. *Ecclesia* quippe *non est, ubi non sunt Episcopi & Sacerdotes.* (*b*) *Et quisquis ab hac Catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quia à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam.* (*c*) Tua itaq; tueare & circumspice. Ad modestiam totus & temperantiam, omniumque virtutum habitum naturâ factus, quid sensa animi tui diutiùs opprimis & praecludis? Uxor Tibi nulla, proles nulla, quibus aliquando sarcinis impediri, ne laqueis eximantur, plurimi solent. Vir tantus, Quantum omnes Te esse sciunt, quique aliis praedicas tam graviter & eruditè, cave Vir magne = Cetera

 Pauli

(*a*) *Ad Philip.* 1. v. 4. (*b*) *Hierony. contrà Luciferan.* (*c*) *S. August. Epist.* 151. *S. Fulgent. de fide ad Petrum Diac.*

Pauli verba cum teneas, apage malum omen, & amarissimam comminationem.

Hic finis differendi, Exetestice, totiusque, qualis qualis fuerit, ratio laboris mei. Hic Noctium Sarmaticarum terminus constitutus, quarum vigilias, ut initiô dicendi jam sum praefatus, indulgendi mihi plusquam oporteat, causâ suscepisse minimè putes. Neque enim appetens sum hominum famae, siquam inde sperare potuissem, nec si forem, nam inscitia confidentiam parit, hoc mihi oneris mala jam aetate & devexa, senectisque viribus imposuissem. At *obedientia*, ait ille, *felicitatis est mater*. Itaque fidem meam liberavi, Tecumq; plura, ut ut potui, communicavi, quibus Tu, & studiorum spatia inoffenso pede percurreres, & praejudicia maxima, quae in omni genere literarum sunt prope innumera, Cimmeria nocte damnares. Propterea & Panegyris, praefationis scilicet Sapientissimo Varmiensium Episcopo & Principi nuncupatae, & historiae, & Poëseos, & Criticae, & Morum scientiae, & Philosophicae disceptationis, & Canonum, & Sacrae Eloquentiae, & Apologetici seu Vindiciarum

rum

rum, & carminum exempla, rationemque libavimus, ut efficeretur Orbis ille doctrinae, quem Graeci Encyclopediam vocant, quò nempe, auctoribus praeeuntibus summis & selectissimis, ad bonarum artium fastigium sine transversis semitis & diverticulis, rectâ viâ ascendere satagamus. Ut des Te ad scribendum vehementer hortor, haec enim duo maximè prosunt, lectio scilicet si cum scriptione jungatur. Semper cogitare, & loqui semper, aliena carpere pertinaciter, nihilque boni, & frugis efficere, quò mira mentis prodigia illa aliorum trutinâ pensitentur, qui minus valent dicacitate & intemperantiâ loquendi, mimographorum qualitas est, & tenebrionum praerogativa. Postremò scias, me in Te amando, partes nunquam commissurum, ut meae desiderentur, fore. Jd erit quasi viaticum aliquod praeter labentis aetatis suavissimum, Te amare. Tuorum verò popularium, & strenuissimae Polonorum Gentis memoria, ubi in posterùm animi, quod erit ad vitae tempora, ante oculos obversabitur, frui me laetitiis omnibus & voluptatibus posse, hac perenni recordatione confido. == ==